IOANNIS LODOVICI VIVIS VALENtini Epistolarum, quæ hactenus desiderabantur, Farrago: adiectis etiam ijs, quæ in ipsius operibus extant.



ANTVERPIÆ,
Apud Guilielmum Simonem,
ad insigne Psittaci.
M. D. LVI.

Cum Priuilegio.

Priuilegii Sententia.

CAVTVM est authoritate Philippi Hispaniarum & Angliæ regis, ne quis alius præter Guilielmum Simonem hasce Ioan. Lod. Viuis epistolas ante quadriennium imprimat, neue alibi excusas vendat. Qui secus fecerit, libris & pœna in sanctione æstimata, mulctabitur. Datũ Bruxellis. 10. calendas Decembris. 1555. Subsign.

Ph. de Lens.

CLARISSIMO VIRO D. *Ludouico ab Auila & Zunniga, Militiæ Alcantarensis Præfecto, &c. Guilielmus Simon Typographus S.*

EA EST rerum bonarũ conditio, præstantissime vir, vt suapte natura non modò inuitent, verũ etiam rapiant homines (quibus vel scintilla virtutis illucet) ad amorem admirationemque sui. Quod ipsum quum plęrisque in rebus, tum verò videre est in bonis literis, pręsertim iis, quę autorem habent probatæ literaturæ. Qualis haud immeritò (vel omniũ cuiusuis Nationis doctorum virorum iudicio) censendus est Lodouicus Viues, vir vel ipso nomine suspiciendus. Est enim hic autor tanta

cùm Latini ſermonis caſtimonia, tùm verò tam graui adeoq; prudẽti ſtylo inſignis, vt haud facilè diſcernas vtro ſit potior. Argumento eſſe poterunt, præter varia eius quę extant ſcripta, doctiſsimè prudentiſsimeque illæ ad claros viros ſcriptæ literæ: illæ, inquam, iamdudũ expectatiſsimæ ipſius literæ: quas nunc in lucem damus nunquam antea viſas. Periculum certè fuit ne intercider ent, vel ſuppreſſæ diu laterent: verùm fortè fortuna, vel potius fauentibus Muſis inter varias rei literariæ ſchœdas, neſcio vnde allatas inciderunt in manus cuiuſdam mei amici bonarũ literarum ſtudioſi. Is earum lectioni intẽtus, certisque coniecturis adductus, vt eas crederet ipſius autoris manu exaratas, indignũ ratus, bonarum literarum ſtudioſos carere tãto bono,

no, eas ad me detulit prælo emittendas. Ego haud cunctatus accingor, præcipuè cùm paulò pòst, eadem manu ſcripta mihi offerretur eiuſdem autoris Deſcriptio temporum ac rerũ Po. R. Proinde quũ circumſpicerem, cui potiſsimum haſce Lodouici Viuis epiſtolas dedicarem: viſum eſt eas inſcribere Celſitudinis tuæ nomini. Quem enim magis decet legere res ſapienter grauiterq́; ſcriptas, quàm eum qui ipſe prudentia rerumq́; vſu pollens, omnes animi ingeniiq́; vires eò intendit, vt quàmplurimis proſit, obſit nemini? Quare quum in aula Cæſarea maximis rebus pręfectus, maxima autoritate præditus plurimũ poſsis: haud aſpernabitur tua Celſitudo vel tutelari præſidio ſuſcipere legereq́; haſce ad maximos viros noſtri ſeculi ſcriptas epiſto-

 las:

las: quò earum lectio præterquàm quòd cedat in plurimorum commodum, ſimul quoque vergat in laudem Dei Optimi Maximi, qui pro ſua ſingulari miſericordia celſitudinem tuam nobis diu ſeruet incolumem.

Vale.

ANGLORVM REGI
Henrico eius nominis octauo Ioan. Lod. Viues S.

INCLYTE Rex, aluit annos aliquot benignitas tua otium meorum studiorum: iam hic tertius est annus, ex quo nihil abs te accipio. Ægrè ferre me non cõuenit, si non datur quod nec debetur, sed gratias agere pro beneficio tam diuturno. Ego verò & ago & habeo semper, & te vehementer oro, vt me non vtaris aliter, quàm eo qui tibi fœlicia optat omnia & prospera. Nec à Regina iampridẽ quicquam accipio, sed & te & illam videre cupio concordissimè ac lætissimè quod restat, ex hac æui breuitate, transigentes. Et quando aliud non habeo, quo animum hunc erga vos meum testificer: decreui ad te paucis de eo

ſcribere, in quo magna pars ſita eſt ſalutis Chriſtiani nominis. Sciſcitaris Academiarum ſententiam de loco illo Leuitici: Frater non ducet vxorem fratris. Quid reſpondeant eruditi neſcio, quid reſponderi oporteat ſcio, de quo libellum, cùm in Britannia eſſem, rogatu Cardinalis Eboracenſis compoſui, quem quia incertus ſum legeris, viſum eſt in præſentia ad Maieſtatem tuam mittere, verùm extra quæſtionem & extra rationē eam quam quiſque noſtrûm Deo redditurus eſt ſcrutatori cordium. Rogo te, Princeps Opt. fac conſyderes etiā atq; etiam, & cogites quid in re tanta ſtatuas, quid agas, quò progrediare. Habes regnum florentiſſimum, tu optima & virenti ætate chariſſimus tuis: In quas moleſtias & te & regnum tuum conijcies ſuſceptis inimicitijs & bello cū Principe vicino potentiſſ. &, quod pluri-

plurimum valet in bellis, fœlicissimo. Quàm graue ac intolerandum erit tuo populo, carere aditu ditionis illius. Si asciscas tibi adiutores ad bellum alios Principes, miserum me, quò deducitis rem? Duo estis aut tres, in orbe Christiano Reges, in tantas nos angustias redegerunt Turcæ victoriæ: & in his ipsis vultis tumultuari. Quis deus vindicabit vos, ne illius fiatis præda? Sed certè si bellum geras, quòd aduersario nocebis, nihil tibi proderit: quòd ille tibi nocebit, multum te vret. Quæ curæ, solicitudines, anxietates, quæ singulis momẽtis pericula? At quid tandẽ quæretur hoc bello? Vxor? At habes quæ huic, quã concupiscis, nec bonitate, nec genere, nec forma, nec pietate tui cõparari possit. Sed quid per vxorẽ quæritur? Nõ credo, breuis voluptas aliqua et obscœna: Liberi, inquis, hæredes regni. At habes Christo gratia puellã miræ

indolis, deliges arbitratui tuo generum, qualem nō poteris eligere filium: hunc accepturus es, qualemcunque natura finxerit, generum licebit tibi qualem voles eligere. Quis porrò confirmare potest tibi generaturum te ex ista, & generaturum marem, & marem hunc victurum etiam vsque ad iustum tempus, quo tu illi decedens vita regnũ tradas per manus? Singula hæc cùm sint incerta, quomodo potes esse de vniuersis certus? Cogita cuius exempli sis futurus autor, & quantam offensionem multis præbiturus. Postremò reputa tecum, quantā in posterum belli ciuilis materiam relinqueres tuæ Britanniæ, de legitima successione dissidenti, quam successionem nouo hoc coniugio dubiam faceres. Precor te, vt singula hæc expendas, & alia quæ ex his tibi venient in mentē: me verò consultò tacuisse facilè intelliges. Me ad

hoc

hoc ſcribendum permouerũt tui obſeruantia, cui plurimum me debere agnoſco, & præ me fero, tùm charitas erga Britanniam, quæ mihi aliquãdiu fuit hoſpita benigniſſima, tùm cura de quiete orbis Chriſtiani diſsidijs & bellis ita diuexati & afflicti, vt nullam videatur iam poſſe plagam in parte recipere ſine diſcrimine totius. Chriſtum inuoco iudicem cordium humanorum, me nõ alia mente aut gratia ſcripſiſſe, quæ tu Rex clementiſſime ita leges ac boni conſules, vt à pectore tui amantiſſimo, obſeruãtiſsimoq́; profecta. Faxit idem Rex regum ſemper ſtatuas, quæ tibi & regno tuo ſint fœlicia futura. Brugis XIII. Ianuarij. 1531.

Viues

Ioannes Lodouicus Viues Domino Pratensi, V. C. S.

IAM pridem literas abs te nullas accipio, sed ego in te voluntatem tuam erga me summam & singularem specto, non epistolas. Nuper tibi & Cæsari scripsi, quas literas percupio esse redditas, & ita esse spero. Me podagra mea grauißimè diuexat, serpsit ad genua, ad manus, ad brachia vsq; ad humeros: aliquando erit finis carceris huiusce adeò miserabilis. Vtinam quandocunque erit, cum bona sit Christi gratia. Istic in comitatu Cæsaris est adolescens quidam Constantius Alamar, filius Quæstoris ciuilis Antuerpiensis, quorū propinqui summoperè cupiunt vt is in familiam tuam reciperetur: & impetrarunt eam in rem literas ab amicis tuis commendatitias,

& me precibus adduxerũt, vt & ipse adderẽ meas. Ego adolescentẽ nõ noui, de eo nihil possum omnino scribere. Necessariis illius adeò id à me contendentibus negare non potui. Si reliqua tibi non displicent, & commendationibus es aliquid tributurus, rogo te etiã atq; etiam, vir clariss. & mihi amiciss. vt commendationem hanc meam aliquid apud te valere patiaris. Vnũ in hoc negocio vehemẽter mihi placuit, quòd beneuolentiã nostram mutuã aliis quoq; notam esse viderẽ, ita vt me quoq; aliquid apud te posse, si vsus posceret, existimarent. Quod ego nisi bonitate tua fretus, nunquã essem ausus mihi arrogare, vt sunt tua erga me beneficia multa & magna: officia verò in te mea prorsum nulla. Sed si exæquari ab amore omnia verũ est, ego in hac tenuitate, tu in ista facultate ac copia, paria facimus. Vale.

Viues

Viues D. Fran. Cranauldio suo S.

VELIM scire cuiusmodi visa est tibi egregia illa mea censura de tua interpretatione, quasi verò tantundem ipse possem præstare. Sed certè sutor de crepida Apellem admonuit, quam ipse non quiuisset pingere, sed scio te boni consulturum quæ inter nos aguntur pro iure nostræ amicitiæ, ἀλλὰ περὶ τῆς πολιτείας, *quæ maioris est momenti, quā ista nostra* φιλολογούμενα. *Aiūt Principem recepisse Germanis se celebraturum concilium, quod indicet ante sex menses: id vtrum vltrò an expressum nescitur. O magnæ difficultatis mi Cranaueldi, qui erunt iudices? quibus credetur tabella tantæ rei in qua salus Christiani orbis collocata est? Initiati omnes suspecti & inuisi Germanis,* καὶ μάλιστα οἱ ἀδελφοί. *Profani despecti & contēpti initiatis, tanquā homi-*

homines imperiti Theologiæ & earũ rerum de quibus potiſs. agatur. Si ad indoctos dicitur, quî poterũt de ijs, quæ non intelligunt, ſtatuere? At ſedebunt docti. Qui tãdem? quis deliget? quis doctos cognoſcet, niſi doctus? At hunc doctum quis ſignabit? Ita cõtinget quod Lactantius de Græciæ ſapientibus argutatur. Electio verò iudicum & reiectio erit inextricabilis animis omniũ, odiis & perturbationibus varij generis concitatis, quæ iudicium omne obruunt. Sed quantò rem video impeditiorem, tanto fore paratiorem confido opem numinis. Littus Flandriæ permagna accepit incommoda ab æstu ingenti, quòd maximis incremẽtis totius menſis, nempe luna plena, effudit ſe ferente validiſsimo vento, in hanc regionem. Rupit aggeres, & latè ea inundauit, quæ hodie ducentis annis non lambebant extremi fluctus. Multum amiſ

ſum

sum pecorũ, multũ frugum: sata etiam dicuntur esse maris salsugine corrupta. Nunc diligentissimè laboratur in mari excludẽdo, timetur caritas annonæ, & in populo exhausto ac inopi, etiam alia multa. Hæc cœlitus: nos tamen casibus & cuiuis potius causæ malumus adscribere, quàm Deo admonẽti. Etiã Tyberim ferunt ripas latissimè egressum, vastissimam dedisse stragem hominum, pecorũ, ruisse multa ædificia, mutare alia, ingentem vrbe tota esse trepidationem ac terrorem. Vale.

Viues D. Alphonso Viruesio S.

DOleo intermissam esse tandiu inter nos consuetudinem dandi literas, quæ mihi erat multò iucundissima. Rogo te, quod quidẽ vtriusque nostrûm fiat commodo, vti ad eam reuertamur. Quæ hîc de rebus Germaniæ audiuimus hæc ferè sunt: Cæsar multũ luctatus est in Germanis, nec omisit

vllam

vllam optimi principis partem, quo minus omnia prudētissimè executus sit, quæ fieri in re tā graui oportebat. Exhibuerunt illi aliquot confessionis suæ capita, à quibus negant se posse dimoueri, nisi adductos authoritate cōcilij, quod illis concessum esse aiunt. A principe locus, & tempus, denique tota eius indictio declarabitur Iunio mēse, aut Quintili sicut narrant nobis. Et expectamus hîc Cæsarem ante exitum huius anni, de quo ipse fecit amitæ suæ spem per litteras. Summa confessionis illorum est, habere se fidem .xij. articulis fidei & sanctæ synodo Nicenæ. Sacerdotes nō esse passim quosuis baptizatos, sed ritè vocatos. In cœna Domini verum esse corpus domini & sanguinem. Baptismum dandum pueris: rebaptizari viros nefas. Confessionem retinendam in ecclesia vt vtilē, sed non omnia peccata aperienda sacerdoti. Fe

ſtis tantùm diebus in ſingulis templis ſingulas celebrari miſſas, in quibus accedant ad cœnam Domini ſacerdotes omnes, & diaconi, & ex populo qui velint. Reliquis diebus profeſtis nō fieri ſacrum miſſæ, niſi ſi quis fortè velit ſacramento vti. Cōmunicare omnes ſub vtraq; ſpecie. Sacerdoti permitti dignos admittere ad menſam domini, indignos reijcere. Licet omnibus vxorem ducere, nec quenquā poſſe vouere caſtitatem. Diſtinctionem ciborum iuberi ab epiſcopo nefas, nec exiſtimari vllo modo opere culpas elui, quā fide in Chriſtum. Sanctos imitandos, nō rogandos. Epiſcopo licere indicere, quæ ſpectent ad ordinē Eccleſiæ, nō alia: vt qui feſti dies ſint, qui profeſti. Epiſcopatui nullam ex ſe adiunctā eſſe iuriſdictionem aut poteſtatē, niſi attributa ſit à principe profano, quam obeat perfunctus ſacris muneribus, non aliter. In quibus

multa

multa ſunt obſcœnè & vafrè dicta, multa prætermiſſa. Grauia quidem hæc, ſed grauiora timebantur: vt de baptiſmo, de cœna Domini, de ſacerdotio, de quibus ſunt, qui in Germania ſentiãt peßimè, vt qui Oecolampadiũ & Zwinglium ſequuntur, quibus Lutherus aduerſatur, & eos ſcriptis impugnat: adeò ſectæ ſunt diſſectæ. In cõcilio nihil video difficilius, quàm ſtatuere qui erunt iudices tantæ rei, præſertim in ſeculo adeò infecto, partibus & animi affectibus concitatiſsimo. Alteri alteris ſunt ſuſpecti & inuiſi, nihil video poſſe perfici niſi Chriſtus apertè ferat opem rebus deploratis, de quibus potiſsimùm ad te ſcripſi, quòd hoc tempore nullas videam, quæ magis pertineant ad ſtatum orbis Chriſtiani. Vale.

Viues Ch. Mirandæ ſuo S.

EPISTOLÆ tuæ, quæ mirificam mihi attulit voluptatem, nondum reſpondi occupatus nihil agendo, & ita aſſuefactus deſidiæ: vt qui olim ad omnia ſolebam mihi otium facere, ipſe nunc negociis negocia opponam, ficta vtiq; & opinione animi mei ſimulata, vt vera ac ſeria excludam. Mirũ dictu vitio naturæ noſtræ ita comparatum eſſe, vt in aulis, quæ ſunt velut regnorum capita, & quia inde regimen in cætera, maximam verſari prudentiam ſapientiamq́; conueniret, vbi ſapere videatur eſſe planè deſipere. Ad hoc commune incommodũ, aliud mihi accedit priuatum, haud ſanè paruum: quod etiãſi animus vel lectione, vel ſcriptione, vel meditatione aliqua ad ſolitas ſibi exercitationes cupiat

piat redire, & se familiari illa olim cō suetudine reficere ac recreare: nullus tamen ad eam rē locus relinquitur. Habeo pro cubiculo gurgustiolum angustissimum, in quo mensa est nulla, vix sedes, septum vtrinq; aliis cubiculis, et frequentia strepentium, clamātiumq; vt non liceat animo intrò se recipere, quamlibet velit & conetur. Tum ab regia aliquantum absum, & ne mihi totus abeat dies eundo & redeundo, interdum domo egressus manè non reuertor vsq; ad noctem. Ibi si cœnatus sum, non deābulo in his angustiis (qui enim possem?) sed circumuoluo me more, vt si in cauea, nec studere possum plenus. Seruiēdum est enim valetudini præsertim hîc, vbi si ægrotem, in stercorarium aliquod abijciar: nec erit, qui magis me respiciat, quàm vilem aliquam & morbidam canem. Incœnatus aliquid lectito, nec frequenter cœno, quòd

ſedentaria hæc obſeruatio non ſinit me ita coquere, vt cùm prodeābulo. Quòd ſcribis me allaturum his exemplū magnarum virtutum: tu quidem more tuo, non quid faciam, ſed quid me facere oporteat, ſcribis, aut ſi ex animi ſententia vel amore potius loqueris, imponit tibi beneuolentia. Ego enim is ſum qui nō mediocriter ſim culpādus, quòd virtutē & video & probo & prædico, nec tamē præſto. Meo quidē loco et tempore, compoſitis ſtudiis meis & quiete conſtituta, fortaſsis non omnino nihil efficiam virtute commendanda magis, quàm exequenda. Sed in motu & peregrinatione ego ipſe mihi excido, & multò ſum alius, quàm domi aut quieſcens, vt etiā ingeniū, & mēs ipſa commoueri videatur vnà cum corpore. Tibi verò, non dubito, quin permultum officiant contendenti ad rectū iter probitatis, vndique pro vicio pugnan-

gnantes propinqui, necessarij, vicini, omnia denique quæcunque seu videas, seu audias. Sed habes tamē quò te post hæc omnia recipias, atque in te secedas & dulces ac sapientes amicos quibús cum colloquare. Cum quibus versari crebrò te apertè epistola hæc tua declarat, quam scito mihi impensè placuisse: ita erat et bonis dictis, sententiisq́; grauis, & latinis verbis nitida, & elegantia dictionis perpolita. Nihil scripsisti hactenus, quod mihi perinde arriserit. Vehementer te oro atque hortor, vt eiusmodi te scriptionis genere sæpenumerò exerceas, & in te secedas, vt rei cuiusque rationem & precium expendas, quis vsus, quis finis vnicuique à Deo & natura assignatus: quæ omnia corruptæ nostræ opinationes inuerterunt, vt verum sit illud, quod est apud Psalmistam: Vniuersam vanitatem esse omnem hominem vi-

uentem Quæ percurris de molestiis vniuscuiusque, vitæ sunt verißima: sed ea vel grauiora vel leuiora reddūtur, vt in cuiusque animo multum est roboris ac neruorum. Quāquam fieri aliter nequit, quo minus omnia sint fellea ad caduca ista referenti, contrà dulcescant, quo se magis ad fontem illum sustollant boni et beatitudinis vniuersæ. Omnia, inquit Paulus, possum in eo qui me cōfortat. Misera est vita agenda ex hominum iudiciis atque existimatione pendenti. Cogeris tu quidem exclamare cum Paulino illo: Infœlix ego homo, quis liberabit me à corpore mortis huius? Mihi verò cogitanti per quot labores atque ærumnas trahimus miserandā hanc vitā, sæpè impetit ac animū subit optandi à Deo finē laborū & tanquam portū in tempestate. Sed reuoco me, nec tantum in me nefas admittere sustineo, vt modum ponam mi-

seri-

sericordiæ & iudicijs Dei de me. Itaq; qui ingemisco miserum me, quis me absoluet de custodia hac mortis? Idē, verbis eiusdem Apostoli gratias ago Deo meo per Iesum Christum. Vale.

Viues Hon. Ioannio suo S.

QVærimonia illa tua, ὦ τῷ θυμῷ ἐμῷ κεχαριτωμένε φίλε, ipsa quidem per se grata fuit mihi, non secus atque ex dulcißimo fonte hausta aqua: quippè proficiscebatur ex pectore quodam immodico penè amoris erga me redundante, & parum sibi satisfaciente, quòd non satisfacere se amico suspicaretur. Sed doleo me, vel quòd properans atq; aliud agens scripserim, vel quòd minus existimarē dicere, quā dixerim, aliquē in animo tuo affectum cōturbasse. Nā ego quum te à dandis ad me literis retardatum scriberem, magis de virgineo isto pudore sentiebam, quā de vlla penitus animi incensione. Quam quum

in alios omnes procul abesse à te exploratum habeo (quid enim fieri te potest mitius aut moderatius) tũ verò aduersum me non ignorabam nefarium tua sententia scelus futurum: ea est in animo tuo non modò beneuolentia mei, verùm etiã reuerentia & cultus. Itaque offensum te ita existimabã, vt tametsi causa nulla suberat, tamen pro ingenij tui probitate aliquo pudore afficerere: vt verò iracundia, ne cogitabam quidem. Si quid vnquam mihi credidisti, hoc velim tibi esse multò persuasissimum, me existimare, neminem hodie viuere, cui tu in me amando concedas. Vicissim, tu quàm sis mihi charus, quámque te ex quo primum die vidi, affixum præcordiis meis gestem validissimis ac firmissimis amoris clauis, consequi verbis non possem, & rem dicendo minorem vero facerem. Nihil, mi Ioanni, quod subuereare, ne aliter

de

de te existimem, quàm sit amicitia nostra dignum. Tu velim post hac ne verba magis, quàm animũ meum extimes. Quippè mihi non raró, dum aliis rebus intentus ad amicos & potissimum familiares arctissima mihi necessitudine deuinctos scribo, quedã excidunt vel maiora vel minora, quàm pro mẽte et cogitatione mea: Oportet te & reliquos mei amantissimos boni consulere & considerare magis quid voluerim dicere, quàm quid dixerim. Vtcunque sit, simpliciter fatebor, nõ possum non gaudere, quòd tanti amicitiam nostram facias, cui ego nihil magis opto, quàm firmissimam in vtriusque pectore & sempiternam esse. De Socru vtinam sit quemadmodum scribis, & aliquam partem spero ita fore: sed nos in mortuis lugendis nos ipsos solemus spectare, non illos. Vale.

Viues D. Straneo suo S.

Aegro.

AEgrotasse te legi sanè quàm inuitus, conualuisse libentissimè. Mihi verò nouum non est, quotidie aliquid vel audire, vel legere, factum dictúmue abs te pro dignitate nostra, cũ apertissima significatione incredibilis non amoris solũ, sed venerationis etiã cuiusdam erga te meæ. Itaque quũ sint hæc tua quotidiana, nõ cõmittã vt per vnas aut alteras literas in gratiis agẽdis perfunctus mihi videar officio gratitudinis. Statui perpetua gratitudine perpetuũ beneficiũ cõpensare, vt quod vnum semper possum, semper præstẽ: nempè gratiam habere quo nihil est simul facilius, simul pulchrius, vt iã verum non sit quod apud Græcos prouerbio celebratur, pulchritudini propositam difficultatem. Vale.

Viues Io. Claymondo S.

NIhil erat opus epistola proficiscente istuc Barchero nostro, qui res

res meas non minus nouit, quàm ego ipſe: videlicet talis amicus, vt meritò dici poſsit alter ego. Sed facere non potui, quin te ſaltẽ epiſtolio ſalutarem, præſertim rediturus in Flandriã, quò cogito hebdomade proxima Chriſto propitio. Vale.

Viues Caſp. à Caſtro S.

EPiſtola tua fuit mihi gratiſsima. Iter tuũ velim tibi bene ac fœliciter euenire: ſeruiendũ eſt & rationi tẽporum & parentum voluntati. Conſilium quòd à me iure beneuolentiæ noſtræ poſtulas, tempus ipſum & res præſentes dabunt. Varios negociorum caſus nec diuinare nec prouidere poſſumus. Itaque ſub manum naſci conſiliũ ſæpenumerò oportet. Vnum tamen poſſum tibi in vniuerſum præcipere, vt affectus animi tui coërceas & habeas in tua poteſtate, ne te impediant quò minus quid in quaque re faciendum ſit, diſpicias.

ſpicias. Si perturbati & tumultuantes mentem & iudicium adimunt ſenibus exercitatiſsimis & prudentiſsimis, quãtò magis tibi & tui ſimilibus adoleſcentibus ſine vſu rerum. Quocirca quandocunque te ab affectu aliquo inuadi ſenſeris, ſi non ilicò reſiſtas ſtrenuè, ſcito nihil dicturum te & facturũ cuius non te mox pudeat ac pœniteat: ſin te pulſa perturbatione ad mentem & rationem reuocaris, omnia ages & tua & aliorum approbatione digniſsima. Affectus verò potiſsimum regũtur patientia & æquitate animi, vt, quandoquidem in medijs negociorum fluctibus eſt homini verſandũ, inter diuerſa ingenia, nec oĩa ex volũtate aut ratiõe noſtra cedũt, arbitremur nõ oĩa ſicuti cupimus, nõ omnia ſicuti cẽſemus oportere. Regit Deus cũcta magno cõſilio occulto nobis, illi cognito. Si te iã nunc compares & firmiſsimè apud te ipſum

ſta-

ſtatuas non commoueri euentibus ſententiæ ac deſiderio tuo contrarijs, ſed patienter & magna tranquillitate animi perferre quicquid acciderit, vt dictum vetus recorderis: Optanda eſſe optima, cogitanda peſsima, ferēda quæcunq; contigerint. Hæc ſi crebrò cum animo tuo reputaueris, & opere fueris executus, ſapientiſsimè ac fœliciſsimè ætatem trāſiges: ſin aduerſos caſus impatienter feras, & te affectibus regendum permittas, miſerrimam tibi fabricabis vitam, & iis qui tecum vixerint intolerabilem. Hæc credito dicta eſſe tibi nō à Viue, ſed ab oraculo: itaq; pro mercede huius conſilij tantū à te peto, & cōtendo, vt epiſtolam hanc crebrò relegas & ſingula verba expēdas: Tū quæ ſit horum præceptorū vis iterum atque iterum cogites, & conſideres: ſenties profectò vtilius. Vale.

Viues

Viues D. Lod. Zifreo ſuo S.

EPiſtola tua fuit multũ gratiſſima qua me facis multis de rebus certiorem: quarum etſi nõnullæ erant mihi cognitæ ac perſpectæ, fuerunt nihilominus te ſcribẽte iucũdiſſimæ. Vale.

Viues Pato ſuo S.

GAudeo te ſoſpitem, vt ſpero, in Galliam perueniſſe: da operã vt nec te profectum iſthuc ſtudiorum gratia vnquam, pœniteat, et Epiſcopũ Lincolinẽſem miſiſſe te ſemper iuuet. Puto te facilè vtrunque aſſequuturũ, ſi quæ in moribus atque eruditionis ratione Barcherus tuus ſuaſerit, diligenter fueris executus. Noui illius tũ prudentiam ac probitatem, tum amorem erga te ſummum. Nihil conſulet, niſi quod tibi vtiliſſimum ſit in poſterum futurum. Redama amantem, & pare ſocio cordatiſſimo atque amiciſſimo. Vale.

Viues Ia. Eccio suo S.

GRatissima mihi tua fuit epistola mi Ecci, quæ testabatur veterẽ illum tuum in me animum: meus verò cur mutatus esset, nulla est causa. Neque enim sic amicitias soleo demittere in pectus meum, vt interuallum aliquod cõsuetudinis, aut officiorum intermissio possit mihi eas eripere: præsertim quum tu ita sis de me meritus, siue cura & diligẽtia, siue vsu tui ac fide, vt iniquum sit me Iacobi mei obliuisci. Itaque tui memini, & apud eos qui te Louanij mecũ norunt mentionem de te libenter & cum iucunda recordatione vsurpo. Vale.

Viues Hectori Decamio suo S.

OCcupationibus factum est meis, mi Hector, vt nihil hactenus binis tuis literis respõderim, & alioqui præter comitatem amicitiæ quandam, & officiosa verba, nõ videbam

quid aliud eſſet magnoperè ſcribendum. Ideò in paulò liberius ocium distuli, hoc audacius, quòd vt animus mihi tuus exploratus eſt, ita de meo erga te nihil te arbitror dubitare. Pergratum mihi eſt vos iſtic valere, vellem me id poſſe de me dicere, quanquã contingit mihi, quod Vlyßes apud Homerũ inquit, Oriri nouas hominibus mentes quotidie cum ſole: ſic mihi nouam, & à pridiana multũ diuerſam valetudinem. In cauſa eſt cœlum nimis humidum, & hîc Oxoniæ, nempè loco paluſtri, craſſum. Vale.

Viues Linacro ſuo S.

IAmpridẽ nihil abs te accipio, quod nõ cõtigit ſine magna mea ſollicitudine. Non quòd exciderim tibi (quid enim minus eſt mihi abs te metuendum?) ſed ne incommodiore valetudine impediaris. Tu ſi me amas, exime mihi

mihi hanc curam, seu anxietatem verius, si non crebris literis, certè crebra salutatione per eos qui proficiscentes huc te conuenerint. Potuisti enim intelligere, si modò satis rectè affectū animi erga te mei tibi declaraui, me non alia esse in te obseruantia, quàm in parentem, quoniam tu non minus me quàm filium amare mihi visus es. Simul cognoscere cupio, si tibi licet, & si vis, quid agas de Grammatica tua, quidq́ue acturus sis. Vale.

Viues Ægidio Gualopo suo S.

COlloquutus sum in Regia sæpenumerò cum fratre tuo, qui de strenuitate & animi virtute charus est Regi, Reginæ, ac cæteris Britanniæ principibus. Fuit & de aliis permultis rebus nobis sermo, quum ille velut Vlysses quidā multas regiones adierit, moresq́ hominū cognorit,

& linguas calleat: ego illorũ audiendi cupidissimus sim: et de te non exigua mentio. Videtur enim mihi te non amare vt frater, sed vt pater, intentus semper & occasiones vbique captans tuorum incrementorum. Quin & me præsente Reginam allocutus est de te, quum nos illam à Richemondia comitaremur ad Syon, sacris eo loci operã daturã. Cupit tamen te talem esse, vt non tantum pietate sanguinis impulsus existimetur ad tibi benefaciendũ adductus, sed meritis quoque ac virtute tua, vt etiã in te vel alienissimũ beneficia illa optimè videri possint collocata. Et quanquam illum ea de re bonum habere animum iussi, tamen hac mea velut sponsione non contentus, impensissimè me est precatus, vt ad te admonitoriã aliquã de studijs, & virtute epistolam scriberẽ. Quod & recepi me facturum, accedoque ad
id

id ſerius forſan, quàm ille ſperarat: certè multo quàm ego voluiſſem, ſed non poſteaquàm licuit. Sum enim tot negocijs diſtrictus, vt vix de maximè neceſſariis rebus vacet ſcribere: tametſi quæ magis neceſſaria, quàm iuuenes ad probitatem, ſapientiamq́ue cohortari? Quod eò diſtuli fidentius, quòd non ignorabam te tua ſponte ad ea eſſe propenſiſſimum. Itaque nõ ſum arbitratus ſubterfugere me occaſionem incitandi currentem, ſi modò incitatore opus eſt ei, qui faciem illam honeſtatis cogitationi propius admouit. Quæ ſi oculis corporis cerni poſſet mirabiles excitaret amores ſui. In ea primum ſpectas finem, ad quem conditi ſumus, qui quùm ex animo conſtemus & corpore, corpusq́ commune habeamus cum belluis, animum verò cum Deo, quantum animo, tantum nos ad diuinam illam naturam ſu

stollimus, quũ sint in vtraque delectatiões, quas voluptates dicimus. Quas ita natura omnes comparauit, vt quæ in corpore sunt, nempè brutales, ingenium & conditionem beluarum sequantur, obscuræ, leues, dilutæ, incertæ, fluxæ, & vt bestiæ perituræ: quæ verò in animo, penitus naturam quandam Dei recipiant, claræ, certæ, solidæ, veræ, & cum animo ipso immortales. Illarum comes sit pœnitentia, harum lætitia. Et vt bestiæ latibula quærunt, quibus se abdant, inhonoræ sunt & omnibus despectæ ac lacessitæ: sic corporeæ voluptates tenebris delitescunt, nec proferre audent caput in lucem, dedecus pariunt, & omnium insectationem: contrà illa mentis nostræ in luce se collocari gaudent, vltrò se exerunt, atque ostentant: omnibus reuerentiæ atque admirationi sunt. Hinc

rectè

rectè Virtus honestas appellata est, quòd ut sola honore digna est, ita & sola verum germanumq́ue perciperet honorem: Et quanquam non est magni atque excelsi animi virtutem propter humana præmia sectari (nam ipsa amplum atque abundè præstans sui præmium est) nec est æquum, ut propter res tanto interuallo inferiores sublimis illa rerum domina Virtus quæratur, & velut detrahatur de solio illa suo, cogaturq́ue ancillis suis ancillari, velut existimationi, opibus, dignitati: est tamen generosi animi non omnino contemnere opinionem. Quocirca illud velim, ne ignores, quod arbitror te ex plærisque vestratium audisse, hîc maxima esse præmia proposita virtuti, ac eruditioni, quum animo & voluntate principum, tùm & omnium admiratione, qui velut signo dato,

erexerunt ſe ad ſuſpiciendam maieſtatem literarum & probitatis, illaſque omni genere honorum, ornamentorum, dignitatum, præmiorum proſequẽdas, ita vt, quoniã honos alit artes, mirus ſit ardor omnium ad diſciplinas capeſſendas. Adducuntur quidem plurimi tantis preciis inuitati ad ſtudia literarum, ſed poſtea intuiti ſcientiæ ſplendorem & virtutis, illa quæ erant ſecuti, in aggrediendis ſtudijs contemnunt. Iam ceu multò inferiora iſtis, quæ propter mercedẽ illam expetierant, ipſos tamen nihilominus ſequitur laus, decus, admiratio, & ampliſſima fortunæ munera. Quoniã hi, in quorũ manu hîc eſt fortuna, bona animi, vt par eſt, vehementiſſimè reuerẽtur, & tãto ſunt paratiora fortunæ precia, ſi ſint initiati, propter commoditatem ſacerdotiorũ, de quorum numero tu es. Nõ quòd te adhor-

ter

ter ad virtutem, & literas hoc fine. Quid enim decet minus vel me dicere vel te audire sacerdotem Christi, qui mundo & omnibus eius illectamentis renunciasti, vt nudus atque expeditus nudum & expeditum Christum sequerere: quumque vel admirãdum illud fidei nostræ mysterium tractas, vel cuius sis sacerdos recordaris, non dubito, quin te ad magistri vitam componas, & effingas, qui nihil voluit suos habere commune cum corpore vt certius eßent Dei filij, sed ad intelligenda mysteria Euangelij, sapientiam sectarentur, ad ea religiosè pertractanda pietatem & cæterarum virtutũ instrumentum. Et quoniam expertus sum te ingenio & iudicio non carere, idcirco bona sum fiducia, non fore mihi ad hanc tibi rẽ persuadendã multis verbis opus. Ausus quoque sum inter eos Britannos,

quos trans mare cognoram, de quibus ſpem conceperim, te numerare. Equidem non de poſtremis ea tibi res debet eſſe ſtimuli cuiuſdam vice, vt, cùm intelligas tantoperè iuuentutem hîc totam ſtudiorum & honeſtatis flagrare ardore, tu non deſis tibi, ſed ſatisfacias, cùm deſiderijs optimi viri fratris tui, tum expectationi quæ de te eſt. Sic enim putãt, vobis qui mare tranſiſtis, vel quòd meminiſtis vos in hoc ipſum domo diſceſſiſſe, vel quòd in ijs locis eſtis, vnde maiorem poteſtis haurire eruditionẽ quàm in Britannia, impoſitam eſſe neceſſitatem redeundi cum ſummis auctibus acuminis, iudicij, doctrinæ, probitatis. Me quoque permagno affeceris pudore, cuius teſtimonium aliquid in hiſce rebus valere pro tot annorum vſu exiſtimant: niſi talem te exhibueris, qualem futurum ſpopondi. Et hæc

qui-

quidem quantum ad alios pertinet, ut taceam quas oblectationes ex eruditione, ex virtute percepturus sis, quam animi quietem & tranquillitatem, quam conscientiæ sanitatem ac fiduciam, quibus nullæ opes, nulla regna conferri possunt, tum notitiam, & sequelam certissimam magistri illius Christianæ pietatis & universitatis huius Principis. Quibus voluptatibus, si quis corporeas illas fœdas atque abominandas, aut luxum, aut desidiam conferendam putat, nimirum ille non homo censendus est, sed belua. Hæc te cogitare, ad hæc te componere, atque exercere non dubito. Idcirco finem faciam, ne docere potius aliter viventem credas, quàm incitare, ac velut gratulari sic agenti.

Vale.

Vives

Viues Baretto suo S.

SI Barettum meum nõ nossem, suspicarer me illi excidisse: quia non scribit. Nũc verò de tã cognito atque explorato amico tantùm metuo, ne quid aliter agat, quàm velit. Quia iã pridem de illo nihil audio: est enim amor mirè meticulosus. Tu ergo scribe, non quo amorem augeas, qui ad summa est progressus, sed quo timorẽ adimas, qui amorem vel sectatur, vel obsidet. Vale.

Viues P. Maluendæ S.

NOn fert coniunctio nostrorum animorum silentium tam diuturnũ. Ad quos enim scribemus, si inter nos non scribimus? Sed mihi silentium hoc indixit capitis grauedo, & oculorum dolor tota hac æstate continuus. Tibi verò, vt puto, rixosa ista theologia, qua te armas in solem nũc, aliquando & in harenam proditurus

&

& seruiturus fabulæ, in re qua nullā decet esse minus fabulosam & theatricam. Sed nos publicus tyrānus grauissimus, cui tamen bonos viros non conueniret cedere, sed libertate veritatis depellere iugum per praua iudicia impositum hominum ceruicibus, in re præcipuè tanti momenti, vrget. Vale.

Viues S. D. Ioan. Episcopo Lincolinensi.

ETsi nihil habebam hoc tempore scriptione dignum ad te, præsertim cui publicis curis negociisque occupato, non est temerè scribendum quicquid in buccam venerit: singularis tamen amor in me tuus effecit, vt quiduis potius loquerer, quàm omnino tacerem, tū ne vel tu inter tot graues cogitationes mei obliuiscaris (tametsi es amicorum retinentissimus, & cumprimis memor) vel me in orbem

bem transuectum oblitum esse credas humanitatis & beneficiorum erga me tuorum. Vale.

Viues fratri Iacobo Menesi suo S.

EPistolã tuã accepi, quæ mihi tũ ob recordationẽ veteris notitiæ fuit iucũdissima, tũ quòd abs te, cuius ingenij dexteritati sic, ex quo sumus cõgressi, faui, vt in optimis te exerceri optarim, nihil addubitãs, quin præstares, in quodcũque incũberes. Vale.

Viues Io. Castel. suo S.

EPistolam tuam iustam, mi Castelle, breuem voluptas reddidit. Mirificè enim me affecit, tanquam si tecum coram colloquerer. Quod facerem equidem multò libẽtissimè, si res ita ferret, vt vel mihi iter esset istuc, aut huc tibi. Velim maneas in eo animi instituto, vt congrediamur priusquã in Britanniã discedã. Cõdicemus locum ex vtriusque commodo. Vale.

Viues G. Tamayo S.

VIdeo te adeò occupatū, vt nō satis vacet ad studia: vtinā, nec ad nugas et amores, potissimū. In quib⁹ audio te, vt hactenus, versari per lusum, vt tu dicis, vt alij autē rētur, valdè seriò & bona fide. Sed certè primi Cupidinis ingressus, et quasi surreptiōes quid aliud sunt quàm lusus? Mox paulò in rabiem vertitur iocus. Sæpè es à me, tum de hac ipsa re, tum de alia quauis monitus, nullo modo expedire animū amoribus subiicere: si ducturus es consultissimū esse non anteà adamare, si non ducturus furiosum esse dominā tibi frustrà asciscere, & ex libero fieri seruum. Hæc si imperitū & stolidum vulgus nō assequitur, assequatur studiosus sapiētiæ nō literas sic ineptire. An nihil vis interesse inter te, qui mētē excolis, & illū qui mētē ōnino habeat, ignorat? Mi Gōzale breuis est vita

etsi

etsi tota bonæ menti impendatur. Quid nunc quum bonæ menti minutissima vitæ portio relinquitur, & plærunque nulla? Iam nūc annis istis, etsi non teneris, at certè non admodum duris, finge te talem, qualem te velis esse in posterum, & fac tandem iuuenis, quod adolescentior non fecisti. Caue ne rerum præclararū occasiones propter vanissimum delectationis commentum amittas è manibus. Si captus es, surdo canimus: sin autem non es, expende & reputa hæc quæ legis. Non placet mihi tanta tua confidentia, qui ais: Eo illuc animi causà: non capiar. Periculosa res est, præsertim quòd illa, quantum potui deprehendere, plura tibi tendat retia, plures pedicas, quibus tenearis, quàm reliquis omnibus. Cura semper, vt sana sit mens in corpore sano. Vale.

Viues Ioan. Claymundo S.

PVdet equidem me tamdiu nihil tibi scripsisse. Sed profectò si scias, quæ tẽpora, quàm varia, quàm difficilia vocem meam penè oppresserint, facilè habeas silentio meo veniam. Quorum bonam partem non dubito, quin cognoueris, ita fuerunt per Britanniam & hanc regionem manifesta. Vale.

Viues Fran. Duci Bejar. Illust. S.

EPistola excellentiæ tuæ primum mihi intuenti non potuit nõ esse longè iucundissima, vt es tu & tua omnia. Sed vbi ex ea, quantum tibi à morbo fuerit periculũ, cognoui: equidem toto animo & corpore cohorrui. Quòd oblectamenta aliqua quæsieris queîs valetudo instauraretur, fecisti rectissimè & erga nos omnes tuos beneficè. Quid enim nobis magis expedit, quàm te optimè habere? Non du-

bito, quin arx ista tua bella, vt mihi à nõnullis descripta, aptissima sit corpori, & viribus reparandis, tùm salubritate cœli, tũ amœnitate soli, &c. Venio ad epistolæ tuæ dictionẽ, quæ tam visa est mihi purior & castigatior, quàm superiores, vt initio addubitarim, essétne tuæ industriæ. Sed fidem fecit, velut filum ipsum orationis planè tuum, & verba quædam, ac phrases tibi familiares. Itaq; nõ videris mihi intermissione illa studiorum iacturam fecisse in literis aliquam, sed multũ promouisse, vt agri quos vberiores efficit quies. Vale.

Io. L. Viues D. Francisco Duci Bejaris Illust. Pa. suo S.

R*Arius ad excellentiam tuam scribo, quàm vt vellem & par esset, sed hospita hæc mea molestissima, graues mihi occupationes præ-*

præbet. Vnum certè adfert secum beneficium, quòd vitam meliorem reddit tantis asperitatibus refertā, quæ si quid habet commodi, id veluti somnium quoddam transuolet. Nuper senex quidam ciuitatis narrauit mihi de vitæ somnio fabulam planè festiuam & cognosci dignam. Aiebat ministrasse se puerum in comitatu Philippi Ducis Belgarū. Fuit is Philippus homo acuto ingenio, & amœno, bellator strenuus cumprimis ac fœlix, cuius est ingens in his nationibus nomen, & de probitate ac commoditate morum dictus Bonus. Hic natus vndique pacem Brugis ferè habitabat genio deditus, & ijs rebus omnibus, quibus ociosi animi teneri consueuerunt, ludis, fabulis, dictis acutis, iocis, facetijs, & eiusmodi. Nocte quadam à cœna cum aliquot præcipuis amicorū deābulans

vrbem, iacentem conspicatus est medio foro hominem de plebe ebrium, altùm stertentem. In eo visum est illi experiri, quale eßet vita nostra ludicrum, de quo illi essent interdum colloquuti. Iußit hominem deferri ad palatium, & lecto Ducali collocari. Demane vbi euigilauit, præsto fuerunt illi pueri nobiles & cubicularij Ducis, qui non aliter quàm ex Duce ipso quærerent, an luberet surgere, & quemadmodum vellet eo die vestiri. Prolata sunt Ducis vestimenta. Mirari homo vbi se eò loci vidit. Indutus est: prodiit è cubiculo: præsto fuerunt proceres, qui illum ad sacellum deducerent. Interfuit sacro: datus est illi osculādus liber, & reliqua penitus, vt Duci. A sacro ad prandiū instructissimū: à prandio cubicularius attulit chartas lusorias, & pecuniæ quantum vellet. Lusit cum magnatibus, sub serum

deam

deambulauit in hortulis: venatus est in leporario & cepit aues aliquot aucupio. Cæna peracta est pari celebritate qua prandium. Accensis luminibus inducta sunt musica instrumenta omnis generis: puellæ atque adolescentes nobiles saltarunt: exhibitæ sunt fabulæ: hinc commessatio, quæ hilaritate atque inuitationibus ad potandũ producta est in multam noctem. Ille verò largiter obruit se vino, sicut priore nocte, & collapsus in somnum altiss. iussit eum Dux vestimentis prioribus indui, atque in eundem locum reportari, quo pridie fuerat repert⁹. Ibi transegit noctem totam dormiens. Postridie experrectus, cœpit secum de vita illa Ducali cogitare, incertũ habẽs fuisset ne res vera, an visum, quod animo esset per quietẽ obuersatum. Tandem collatis cõiecturis omnibus atque argumentis statuit somniũ fuisse: &

vt tale vxori, liberis, ac viris narra- uit. Quid interest inter diem illius & nostros aliquot annos? nihil penitus, nisi quòd hæc est paulò diuturnius somnium. Certè est vtrique perinde, ac si quis vnam duntaxat horam somniasset alter verò decem. Nihil iampridē audiui ad exprimendam vitæ nostræ vanitatem accommodatius, visum est id mihi ad te scribere, quòd delectari te scio his rebus, quibus animi nostri ad virtutem formantur. Vale.

Ioannes Viues H. Ioannio suo S.

EPistolas tuas, ex quo hinc discessisti, accepi duas, priorem Lutetiæ datam, alteram ex communi patria, cuius aspectum equidem inuiderem tibi si minus te amarem. Quid egeris,

egeris, & quo modo te Lutetiæ oblectaris, non tam ex tuis literis cognoui, quàm ex Maluendæ nostri sermone, qui hîc adest, iturus cras ad regiam, de negocijs quibusdam acturus cum Granuello, ipsi (vt nosti) amicissimo. De rebus patriæ fusius abs te aueo intelligere, & longissimas literas tuas primo quoque tempore expecto, quemadmodum spem fecisti. De Stranei nostri morte, quantum dolorem ceperim, nihil attinet commemorare. Maior est res narratione omni ac fide, sed nescio clauúsne sit excussus clauo, an potius vulnus additum vulneri audita morte Dixari amitæ meæ viri. Quid facias? Hæc sunt quotidie audienda & videnda. Nam & Herdaram, & Naiarium octo diebus amisimus, illum graui & diuturno morbo, hunc senio, qui & morbus est incurabilis.

Non dubito, quin permagna sit in familia nostra solitudo, amisso viro, quem tu meritò columen familiæ illius nominasti. Rogo te, mi Honorate, per mutuam nostram voluntatem & charitatem, vt crebrò ad illas adeas & videas & visas. De negocio illo facies, quod tibi erit commodum, etsi nō dubito, quin omnia istic commutata offenderis, secus quàm hîc opinabare. Sororem meam ad me accersam: nam hîc, vt spero, commodius, vel nubet, vel apud me viuet cœlebs, nisi tu fortè aliquid ei iam prospexeris, aut θεός τις ἀπὸ μηχανῆς. Nam alioqui consultius erit, vt ad me veniat, partim pedestri itinere per Hispaniam, partim marino ab ora Cantabriæ in Flandriam. Gratulor tibi fratrem ex animo viuū, cuius aspectu haud dubium est, quin maxima doloris parte sis leuatus περὶ τῆς μητρυιᾶς. planè παράδοξα. Quis esset

esset suspicatus, nisi quod τὸ ἐκεῖνο ὄνομα, nescio quid secum adfert infausti. Tu tamen quo loco aliquando tibi fuerit, memineris, vt eam in illa personã reuereare, & mansuetudine, ac lenitate demulceto, vt sic ad æquum ab ea impetrandum pellicias, in quibus apertè poterit cõuinci. Planè cura vt ius tuũ obtineas. Quæ obscura fuerint, & leuißimis nixa coniecturis, in ijs satius est, & benignitatis, & beneuolentiæ gratiã captare, quàm eam cum inimicitiis & sine fructu vllo persequi. Denique magnoperè est quieti animi cõsulẽdum, etiã cum aliquo rei familiaris dispendio. Valdè cupio cognoscere quid de tota re sit actum. Ego Cæsarem nondum cõueni, quòd Pratensis author mihi fuit, ne se absente, id facerem. Is verò in Franciam est missus à Principe ad inaugurationem Reginæ: expectatur breui. Disciplinæ

meæ cœptæ sunt Autuerpiæ excudi. Rhetorica & de sermone ac linguis in aliud tempus distuli, philosophicis plusquam gestare possim, onustus. Quæ verò prodibunt, dabo operam, vt quàm maturissimè accipias. μέμνησον δέομαι τῶν ἓξ χρυσείων δουκάτων, *vt eos patruo aut amitæ repræsentes, quum tibi quidem erit percommodum, & erit, ni fallor, quocunque tempore. Verùm de hoc ipso uideris quemadmodum sis isthic animo affectus. Peruelim scire, vt de eo ipso inter nos scribamus: quod pluris esse nobis debet, quàm census vniuersus. Fac, Honorate animo meo charissime, etiam atque etiam cogites & reputes, non qui sis, aut esse existimeris ad pauculos aliquot dies: sed quem te esse conuenit, & qui sis in æternitate omni futurus Illuc oculos intende, non in temporaria aliqua, seu*

seu momentanea verius. Puto autem te esse iam breui cunctum futurum in cogitatione vxoris ducendæ. Amabò, mi Honorate, præter cætera rationem habeto non pecuniæ, non caducæ delectationis, sed τῆς ἐυτυμίας, *quæ te & in vita hac proculdubio beabit, & in altera. Noli momentanea diuturnis anteferre, temporaria sempiternis. Quòd salutatum te à multitudine nostræ nobilitatis scribis, summoperè gaudeo: modò tu aliquibus eorum exemplo esse ad virtutem possis. Non illa te sæua peruersè iudicandi conspiratio tanquam torrens quò intendit prouoluat. Quæ illa probat, fortasse non est perinde tutum degustare, ac opinaris. Ingressus tui erit iuris, egressus alieni. Metuenda profectò sunt, quorum experimentum cum periculo sumitur.*

Ro-

Rogo te vt de familia istic nostra nõnihil μετὰ τοῦ ἡγεμόνος τοῦ καρδιναλοῦ *colloquare votorum, ad eum paucula quædam de hoc ipso scripsi. O vir omniũ amicissime obsecro te, ne in occasione desis. Vale.*

Viues G. Tamayo suo S.

IVcundissima fuit mihi tua epistola, mi Gonzale, qualis tu semper fuisti, & videris mihi nõ infœlicem operam in stylo excolendo posuisse. Quæso te ne desuetudine sinas obsolescere. Vehementer enim te, ex quo Louanio discessi, superasti. Itaque dabis operam, ne quis tibi elabatur dies, in quo aliquid non, & legeris, & scripseris. Et puta academiã tibi futuram, vbicunque libri & ocium, & animus expeditus ad studia & alacer. Patri tuo viro optimo, & mihi beneuolentissimo gratias meis verbis ages, pro cura, imò sollicitudine de meis rebus.

Au-

Audio rationes aulæ eas esse, vt aditus ad Principem vulgaris, nulli non pateat, priuatus paucissimis, ac propè nemini: In illo autem communi nihil ferè agi. Itaque consultissimum amici censent Pratensem expectari. Vtinam esset vnde nos possemus tolerare. Totam eam curam, mi Gonzale, iampridem abiecissem, & abiiciã fortasse statim. Post primum experimẽtum deterritus difficultate rei, Grynæi literas vix sciui legere, ita erant cõfusè exaratæ. Opiniones hominum variæ sunt. Moribus malim prodesse quàm iudiciis placere: quanquam hoc pulchrum & plurimorum sententia vehementer expetendum: habet tamen illud alterum vtilitatem vberrimam, hoc autem inanem quandam delectationem. Vale.

Viues

Viues Benedicto Hugu. suo S.

DIfferri discessum tuum vehemēter gaudeo, vtinam in annum decimum. Quò enim accerseris? ad exercitium flagitiorum omnium, ad approbationem atque applausum scelerum, ad insectationem & derisum uirtutis. Memineris horū verborum quæ expressa videbis Romæ. A fratre tuo epistolam accepi vnā iampridem scriptam, breuem & neglectim, qua negat posse quicquam fieri ex ijs quæ postularam: quasi ego ab illo aliquid vltrò petierim, & non ab eodem ipso prouocatus, atque instigatus. Sed ego ita ei respondebo, vt sentiat me amicitiam eius postulare, non munera, vel officiosam pro me diligētiam. De quibus mihi in mentem non venerat priusquam ab eo literas per Nicolaū accepissem Louanij. Nescio quo meo fato fit, vt maximarum amicitiarum

faciam

faciam iacturã, dum amici, quòd quæ vltrò polliciti sunt, præstare non valent, pudefacti, se ab vsu & consuetudine mea subducunt, quos ego nec ad promittendum incitaui, nec vrgeo, vt præstent. Tu, mi Benedicte, ita te iam nũc compara, vt opes nec desideres, si absint: & si adsint, integerrimè administres. Studiis id prudentiæ ac probitatis aßequeris: sine quibus oneri tibi erunt siue opes, siue inopia: leuißima autem reddentur illarũ beneficio. De Rhetoricis Hermogenis ago tibi gratias: iam erant ad me Lutetia cum aliis Rhetoribus missa à Valdaura meo, & quidem longè plurisquàm vellem. Vale.

Viues Domino G. Brixio suo S.

IOannes Iustinia. Cretẽsis, qui istic est aliquãtisper versatus & quidẽ

tecum

tecum, vt intellexi familiariter multa mihi de studijs tuis, de singulari naturæ probitate, narrauit, tum de voluntate tua erga me, quæ mihi omnia etsi minimè noua, certè iucundißima fuerunt. Equidem vel genium istum tuum vel dexteritatem in conciliandis tibi hominum animis, cùm admiror vehementer, tùm gratulor tibi. Quòd verò de me ita sentias, vel potius quòd me diligas, ingentem habeo gratiam: quamuis debere me tibi in eo nihil putem, ita paria tecum amando facio, posteaquam qui vir esses planè cognoui: Nam antea ducebat me siue affectus nescio quis, siue officium hominis, cui ex animo bene cupio potius quàm iudicium. Iustinianus tuus redit in Italiam ad salubritatē illam balneorum, vt experiatur an solidari poterit commissura brachii, καὶ, ὡς οἶμαι, χρημάτων πάνυ ἐνδεόμενος, *&c., quod incōmo-*

dius

dius est τῆς ἀνάγκης strenuꝰ dissimulator: is est in homine pudor, vt sic dicã, rusticus. Commẽdarem illum tibi, si non esset, vt autumo tibi q̃ mihi familiarior: etsi is ego essem apud te, vt alios commẽdare possem. Sed certè pro tua in illum beneuolentia satis fuerit te hac de re esse à me summonitum. Nã ab illo nunquam esset factum, nisi me mea de illius ingenio fallit opinio. Atq; eò feci libentius ac promptius quod ex titulo quorundam tuorũ operum eleemosynis te Regiis esse præfectũ intellexi. Itaque voluntati isti tuæ prolixæ paulo plus est additum ad benefaciendum facultatis. Vale.

Io. Lod. Viues Filiis Ioannis Valteri S.

PRo amicitia, quam mihi cum patre vestro omni virtutum genere ornatissimo nostis intercedere, in filiorum vos loco vt habeam, conuenit.

Nec est quicquã mihi gratius q̃ audire vos sedulò meminisse qua istuc causa sitis missi, vt simul & omniũ expectationi de vestra indole & parentum vestrorum ardentissimis desiderijs satisfacere laboretis. Audio enim vos in studiis linguarum et iuris diligenter exerceri, vt & bene sapere & bene dicere pariter discatis, quæ duo coniuncta, si, vt cœpistis, absoluatis, ingentes vobis in vita vtilitates, magnamq́ue gloriam parabunt. Nec secus inter homines excelletis, quàm agri culti inter incultos & contemptos. Nam si ex animo sumus homines, corpore haud multum à bestijs distãtes vtique apparet qui animum excoluerit, eum verissimè hominem futurum, quũ ille non admodum absit à bruto, qui segnẽ animum inertemq́ue velut syluescere patitur. Quæ verò ingenij cultura, potest esse præstantior

ſtantior quàm peritia iuris? per quam non modò quiſque euadit melior, ſed aliorum etiã rector & dux vitæ, quo amplius nihil aut præſtabilius ne excogitari quidem poteſt in vita: quippè quæ eſt imago naturæ illius cœleſtis ſummæ ac præpotentis, à qua regũtur vniuerſa. Porrò ſermo nos diſtinguit à brutis, quæ ideo muta nominantur: nihilq́ue aut perparum ſint diſciplinæ omnes profuturæ, niſi facundia accedat, quæ illas foras educit futuras alioqui reconditas, & veluti ferrum in vagina ſua hærens. Quid? quod linguarum cognitio, non ſolùm ornamento atque adiumento eſt reliquis artibus, ſed nec conſiſtere ſine ea poßint: quandoquidem, quod nemini non eſt notum, res ipſæ verbis ſunt conſignatæ ac proditæ, vt ad res perueniri nullo modo, niſi per verba queat. Profectò quum

aliis euidentiſsimis argumentis facile eſt intelligere, qua prudentia vir eſt pater veſter, tũ vel hoc ipſo quòd veſtram educationẽ tanto iudicio eſt moderatus, eáque vos ſtudia voluit coniungere, quæ maximam dignitatem eſſent allatura. Quocirca conſilio ſapientiſsimi patris parete adoleſcentes optimi, vt vos cunctos cultui ingeniorũ dedatis, cuius gratia eſtis ad Academiam miſsi. Valete.

Viues Georgio Haloini Do. S.

ABfui quatuor menſes in aulam Cæſaris profectus, reuerſus ſum hebdomade ſuperiore, viſumq́ eſt ad epiſtolam tuã reſpondere datam. xij. Iunij: præſertim, quum hic Cominium haberet iter Iacobus Haloinus ſubditus & cliẽs tuus addictiſsimus. Quòd labores tuos premis, facis diligentiſsimè. Grammaticam nõ eſſe autumo contentionum & peruicaciæ cauſam,

causam, sed Grammaticorum mores. Nam mihi imprudenter videntur facere, qui professorum vitia transferunt in artes. Quæ ratio si valeret & philosophia & disciplinæ omnes, atq; adeò ipsa etiã pietas, eodem essent nomine damnandæ. Budæum non existimo affirmare absolutum esse opus suũ de asse: nec id ipse ait in præfatiõe voluminis primi, & est alioquin vir, qui de se vbique moderatissimè loquitur. Primum eum fuisse, qui iustam & veram de argumento illo commentationem attulerit, res ipsa testatur. Portius sine controuersia suppilator fuit Budæi. Blondus & Politianus & Priscianus, atq; etiã Isidorus, quã pauca, quàm incerta, & obscura, nec raro etiam falsa reliquerunt, vt nihil esse planè dicas, si conferas cum Budaicis de asse? Quòd Budæus in vndetriginta solùm partes secat: quũ

Horatius in arte poëtica ſcribat: Romani pueri lõgis rationibus aſſem In partes centum diſcunt diuidere, argumentum eſt leue. Eſt enim hyperbole figura Horatio & poëtis omnibus familiaris admodũ, etiã ſermoni quotidiano. Nam inſectans Horatius diligentiam puerorum Romanorum in ijs, quæ ad rem parandam facerent, quum in literis et cultu ingeniorum eſſent negligentiſſimi, & inertiſſimi, ait illos diſcere aſſem diuidere non in vndetriginta partes, quod facilè quiuis effecerit, ſed in centum. Quẽadmodum vulgò ſolemus dicere de exercitatis negociatoribus, quòd ſtuferum diuidãt in partes mille: nam in quatuor & viginti curtas, aut in octo et quadraginta minutias, hoc nemo non præſtaret. Et quàmuis minutiſſimi numi non plures in aſſe fuerũt quã nouẽ & viginti, ſicut in ſtufero duode-

duodequinquaginta, ipsum nihilo secius assẽ non modò in centũ partes, vt Horat. canit, sed in mille est diuidere, atq; etiã in infinitum, sicut de quouis cõtinuo philosophi docẽt. Æstimatio enim quantitas est continua, quæ sine fine vllo numeri potest dispesci. Vale.

Viues amico suo S.

SEmper tu quãcunq; occasionẽ amplecteris bene merendi de me, ego ad referendam gratiã, quia facultatẽ nullã habeo, voluntatẽ solam adfero, quæ tibi optimè cupit. Ea eris cõtẽtus & haberi tibi à me suffecerit, quãdo referri nõ potest. Munus multis nominibus fuit gratissimum, & per se, & quia abs te, & proter tempus. Vale.

Viues Franco Leardo suo S.

AMicitiam nostrã, quam nõ perinde conciliauit frater tuus, vt cõmunio nostrorũ studiorũ, firmã & perpetuã fore cõfido, sed incidũt sæpe

numerò in maximis amicitiis tempora, in quibus magnum ſit inter amicos ſilentium vel occupatos magnopere aliis negociis, vel defectos ſcribendi argumento. Vale.

Viues G. Haloini Domino S.

AD tuas literas reſcribo occupatus admodũ, ſed aliquid eſt dandum amicitiæ noſtræ & ſtudiis tuis imprimis laudabilibus. Antequàm Popu. Roma. eſſet, quibus ſit vſus vocabulis dictu difficile: nam illorum temporum nulla extant monumenta, literæque non illa modò ætate raræ ac penè fuerunt nullæ, ſed & vrbe à Gallis capta, quod Liuius teſtatur, coniectura adducor fuiſſe magna ex parte Græca nomina, cuiuſmodi pleraque tum erant in Latio, quod Arcades primum habuerãt, hinc Troiani. Aſsis nomen, itẽ æris vetuſtiſsima ſunt ex duodecim tabulis atque etiã tem-

temporibus Regum. Reliqua nō per-
inde antiqua. ἀσσάριον in euangelio ex
Latino eſt formatum per diminutio-
nem. Erant enim multa rerū nomina
latina ab omnibus penè nationib⁹ in-
cepta propter Romanos, penes quos
ea tempeſtate orbis erat imperiū. Sic
denarius, & quadrans & prætoriū le
guntur in euāgelio. Talentum græca
vox eſt, à Romanis vſurpata. Seſter-
tium omnino eſt Romanum, de cuius
ætymo ſic ſcribit Varro lib. 4. de lin-
gua latina: Dupondium & ſemis an-
tiquis ſeſtertius eſt, & veteris cōſue-
tudinis, vt retrò ære dicerentur, ita
vt ſemis tertius, ſemis quartus, pro-
nunciarent. Pompeius autem Feſtus
ſic: Seſtertium dicimus, id èſt, duos
aſſes & ſemiſſem tertium. Itaque ſe-
ſtertius appellatur, quaſi ſemis ter-
tius ab Græca formula, quaſi duæ li
bræ cum dimidia. Si æris, eſt ſeſter-

tius, si argenti sestertium: ideo in antiquis libris sic solet signari II S, hoc est, libræ duæ, & semis. Sed transuersa lineola demissior est appetita, vnde extitit ceu nota aspirationis H-S. In extremo tuarũ literarũ adscribis me explicandis hisce rebus fusius rem vtilissimam facturum studiosis omnibus. Videris nescio quid subsignificare, cudere te quod aliquando edas. Ea de re peruelim me certiorem facias. Vale.

Viues Io. Vergaræ Theolo. suo S.

IAmpridem nihil ad te scribo, vtiq; nec quod scribam, habeo: quũ ipse ad me toto integro seculo vix vnas des literas, quod ego sanè partim ingenio cœli istius, partim occupationibus tuis tribuo. Sed quando de voluntate in me tua certum atque exploratum habeo, non sum vehemen-

ter

ter de epistolis solicitus: quanquã erit mihi longè iucundissimum, si quid dederis quod te non ignorare certum habeo. In rebus meis Britannicis magna mutatio. De hoc Regis & Reginæ dissidio audiuisti. Etenim est fabula toto notissima cœlo, vt ille dicit. Ego Reginæ me adiunxi, quæ mihi meliore causa visa est niti, eíque quã potui opem tuli, & dicendo & scribendo. Ea res animum Regis offendit, ita vt me libera custodia iuberet detineri sex hebdomades, vnde sum dimissus ea conditione, ne regiam ingrederer. Itaq; liber iam consultissimum iudicaui domum redire, idque Regina per codicillos suasit clam missos. Post menses aliquot missus est Cãpegius Cardinalis in Britanniam iudex causæ. Rex mira festinatione misit Reginam quærere sibi patronos et aduocatos ad dicendam causam apud

cum

eum ipsum Campegium & Cardinalem Angliæ. Acciuit me regina vt sibi adessem: negaui expedire ei à quoquam in illo foro defendi, præstare vt indicta causa condemnaretur, quàm vt aliqua specie defensionis: Regem tantummodò prætextum quærere ad suum populũ, ne Regina inaudita videatur esse circumuenta: reliqua eum non magnoperè curare. Irata est mihi etiã Regina, quòd nõ statim volunta ti potius suæ paruerim, quàm rationi meæ: sed mihi mea ratio instar est omnium principũ. Ergo & Rex tanq̃ inimico, et Regina tanq̃ immorigero & refractario, vterq; annuũ mihi salariũ ademit. Itaq; his ferè tribus annis ego ipse admiror, vnde me tolerauerim, vt facilè intelligã, quãtò maiꝰ sit quod Deus tacitè suppeditat, q̃ quod ab hominibus cum magno strepitu exprimitur. Habes de me quàm

potui

potui breuissimè. De te cupio cognoscere, quæ tu voles. De rebus Germaniæ quibus nullæ magis Christiano orbi debent esse curæ, nō dubito quin ex aliorum literis copiosius cognoscatis istic omnia, quàm possetis ex meis: præsertim quum hîc Brugis tantum nescio quæ narrentur in genere, nec ea ipsa omnia ad me perueniant. Confessio est à Lutheranis Cæsari exhibita, in qua conueniunt nobiscum in articulis fidei, item de baptismo, de sacerdotio, de corpore & sanguine Christi: in cœna Domini dissentiunt, de confessione, de missa, communicatione sacramenti, meritis operum, potestate episcoporum, sanctorum veneratione. Confessionem retineri illis placet tanquam vtilē modò, sed in qua non sint peccata omnia patefacienda: Missam celebrari diebus festis vnam, in qua accedant ad

men-

mensam Domini qui velint, cum approbatione sacerdotis, repellantur quos sacerdos indignos censuerit: communicent sub utraque specie. Profestis diebus non celebrari, nisi si quis velit sacramento uti. Existimari ullis operibus purgari scelera, nefas, præterquam fide in Christum. Episcopos posse statuere, quæ ad ordinē pertinent ecclesiæ, ut festos dies, non autem iubere distinctionem ciborū: Eos nullam habere ex se iurisdictionem, nisi cōcessa sit à Principe, & eam ea lege admittant, ne quid impediat functiones sacras. Diuos proponi quidem posse ad imitationem, non ad petendā ab eis opem. De purgatorio nihil loquuntur: de libero arbitrio perplexè. Et hæc quidem Lutheranorum confessio. Nam Oecolampadiorum multò esset absurdior. Quū eos vellet Cæsar dimoueri à sententia, minati sunt

dira

dira, etiam fœdus cũ Turca: se tamen staturos iudicio concilij. Itaque Cæsarẽ id ferunt cõcessisse. In quo lõgè difficillimũ video, qui erunt tantæ cõtrouersiæ disceptatores ac iudices in tantis inimicitiis ac partibus, vt vtrisque satisfaciant. Initiati non placebunt Germanis, Monachi potissimum. Profani non placebunt initiatis, tanquam Barbari & indocti homines. Iam ab indoctis causam cognosci est omnia perturbare. Doctos quis eliget integrè & ex æquitate iudicij, præsertim quum de docto solus doctus possit censere? An verò in has angustias concludit nos Deus, vt liquidius appareat illius & sapientia & bonitas in opitulando? Et hæc quidem acta à Cæsare cum Principibus, maluissem cum magistris & doctoribus multitudinis. Nam si ea parum probentur in vulgus

quæcunque euenerint, non erit in manu principum præstare, quod receperint Principi. At ecclesiastæ illi in potestate dicuntur habere populorũ animos. Quid aliud restat, quàm vota facere, vt res ex commodo Ecclesiæ succedat. Vale.

Viues. D. Gulielmo Budæo S.

REuocarem te ad intermissam nostram scribendi cõsuetudinem, ni metuerem ne impudenter viderer facere, qui tibi homini publicis functionibus occupato negocium adderẽ, hoc est, facesserem. Itaque non postulo, vt tam crebrò mecum per literas alloquare, quàm aliquando facere es solitus, quod erat mihi quum delectationis plenissimum, tum etiã fructus. Interdum tamen rogo te ne graueris aliquid ad me literarum dare. Nam hoc velim mihi credas, nihil amicitia nostra esse mihi iucundius: & gratissimum

ſimum eſſe quicquid illius memoriam renouat. Nunc habebis cui commodius poteris tradere, ſi quid ad me perlatum velis. Nam hic Nicolaus Valdaura vxoris meæ frater, qui eſt mihi præter affinitatē, etiā fratris Germani loco Lutetiā ſtudiorū gratia proficiſcitur. Eſt enim medicæ arti daturus operam, cuius pernoſcendæ eſt cupidiſſimus: hic tibi has literas reddet. Si quem vnquā habuiſti ex mea commendatione inter tuos, quo nomine maximam tibi habeo gratiā, hunc habebis non aliter, Budæe clariſſime & chariſſime, quàm me ipſum. Caue putes commendationem hanc eſſe ex illis vulgaribus. Neminem habeo iuuene hoc chariorem, cuius humanitatem, manſuetudinem, modeſtiam ſi guſtaueris, non dubito, quin ſis eum iudicaturus amore tuo dignū. Nihil eo poteſt fieri mitius ac mode-

ratius. Itaque, si quid vnquã apud te beneuolentia nostra valuit, hunc non aliter, quàm meipsum complecteris, efficiesq́ue illum familiarem maximis istis amicis tuis medicis, Ruellio imprimis, cuius cõsuetudo plurimum huic adiumenti adferet. Sed de Valdaura vix cœpi dicere, si animum & affectum meum spectem: sin tuã prudentiam, & amorem nostrum mutuum nimis iam multa. θολημικοῖς ἂν ἢ νύω ἀσφαλέστερον πρὸς ἡμᾶς γράφειν εἰρήνης ὡς ἐλπὶς ἤρεις μένης παρὰ τῶν βασιλέων, Vtinam tam rara & diuturna, quàm grata & optata, adde etiã necessaria, in quo præclarum est decus quæsitum principibus fœminis. Parum abfuit quin mense Octobri Lutesiam sim profectus vitabundus eam luem, quæ in regionem hanc sæuissimè grassabatur, de qua non dubito quin audieris. Sed cũ domo ea mente discessissem, & Atrebatiam

thesiam essem ingressus, Hispani quidam Leusi sunt me remorati, & lætiores nuncij qui è Flandria quotidie adferebantur rem mitescere. Nam nusquam supra octo dies sæuiit. Accipies à Valdaura meo librum de concordia scriptum à me proxima æstate, dum me horum temporũ miseret: Et quando remedium tot malis adferre nequeo propter imbecillitatem virium, chartis saltem animum meum testor. In quo vno me consolor, & vtcunque acquiesco. Vale.

Viues Antonio Barchero suo S.

IAmpridem nullas abs te accipio literas: ego verò binas ad te dedi eodem exemplo, de quibus nihil addubito, quin alteræ saltem sint redditæ, quæ erant bene longæ, & multis de rebus, ni fallor, quæ ipse cupiebas cognoscere. Interea fuit incredibilis ꝑtur

batio & consternatio omnium, propter sudorem, qui è Britannia huc transiit, & latißimè se per totam hanc regionem expandit, vt omnia procelluerit pauore confusißimo. Quo tempore, quum domo cum vxore profugissem, & venissem Insulas, quas etiã morbus inuasit, vxor Brugas omnino voluit redire, vt quæ nihil metueret remißa ea domum: quandoquidem videbam minimum esse periculi ijs, qui nihil timent. Statuebam vos visere & Valdauræ huic iusseram equum emere, vt mihi comitaretur. Sed in Arthesia detinuerunt me Hispani quidam & lætiores de morbo nuncij. De quo toto itinere accipies, quæ voles à Valdaura meo, qui istuc proficiscitur, vt pergat operam dare medicinæ suæ. Commendatione illi non eget mea apud te, ipse est, vt spero, tibi, & meo & suo nomine charissimus.

ſimus. Nec poſſem nũc magis cõmendare vel accuratius, quàm cõmendaui Opentæ. Potuiſti enim intelligere, quum vnà eſſemus, quantoperè eum diligam, ſeu, vt aptius dicam, amem. Scito autem ab eo illo tẽpore plurimũ acceſſiſſe amori in illum meo, cui nihil videbatur poſſe addi. Quocirca, mi Barchere, hoc vno verbo apud te vtar, putà, me eſſe Nicolaum hunc. Hæc vna commendatio ſufficiet animo iſti, & volũtati tuæ erga me. Non onerabo pluribus epiſtolã, quandoquidem is erit tibi vice lõgiſſimæ. Vale.

Viues D. Hierony. Salineo S.

VIrtutes tuæ ingentes, quæ ab omnibus incredibili cõſenſu laudantur & prædicantur, impulerunt me ad expetendam amicitiam tuam. Eædem virtutes animũ addiderunt, vt ad te hãc epiſtolam ſcriberem, qua

vel auspicarer tecum optimis auibus amicitiam vel certè notitiã confirmarem. Tu me post hac vtere siue amico, siue noto, vt voles, ex commodo tuo: nam ex voto meo amicũ mallem. Habebis istic Nicolaum Valdaurã, vxoris meæ fratrem, quem ego ita habeo charum, vt alterum me esse censeã. Is erit tibi velut imago quædã, et admonitor, quò mei crebrò memineris. Va.

Vives Pato suo S. P.

EPistolam misi vel denuo & Bequinsalo & Massono, & Thomæ Vintero, cui non minus nunc bene cupio, quàm cum Cardinalem haberet gratia florentissimum. Neque enim in amicitijs fortunam sequor, imò quò afflictior est, hoc magis eum diligo. Nam miseratio auget charitatem. Sed vide rerum humanarũ vices: ò detestabilem eum qui super hæc mundana ædificat, & fidit homini

ri mortali, infirmo & mutabili. Votonium meum miror nihil mihi scribere. Fac me certiorem sitne adhuc in Gallia. Morū habemus Cancellariū, nescio an meminerit tenuium amicorum. Mihi hunc sesquiannum munus non est missum è Britannia, οὐδὲ ἄλλοθεν, ὥστε φόβος ἔνι, μή με λιμόκτονον ἐάσωσι ταῦται κινήσεις ἡμᾶς χρῆσας εἰς πτώχευσιν καὶ ἐνδεεστέρους. Scito Claymundū senē optimū scripsisse ad me literas plenissimas humanitatis illius suæ solitæ aduersum me, & misisse .xx. solidos: quod munus fuit mihi lōgè gratissimū. Non quòd iuuare me possit in tantis meis quotidianis sumptibus, sed quòd ab animo beneuolentissimo profectum. Vale.

Lod. Viues Dño Pratensi V. C. S.

IN tanta multitudine ac varietate ingentiū negociorū, nihil miror me tibi excidisse rē tā exiguā et tenuē, si mō excidi. Nā qd me velles facere, p

nullum tuorum significandum curasti. Nunc dicũt te diutius opinione nostra moraturũ in Francia, quod facilè suspicor, quando eum video morẽ esse legatorum. Magnoperè vereor ne cunctando & prolatando occasionem amittamus è manibus, & hic homo prius hinc discedat, quàm nos aliquid perfecerimus, quod mihi esset sanè perincommodum. Quoniã negotium tametsi de se leue, tamen mihi nõ minus est grande, quàm sua regibus & principibus. Omnia enim hæc magna & parua in comparationibus sunt sita. Rogo te, vir clarissime atque amicissime, vt quid mihi faciendum censeas, duobus verbis digneris rescribere, vel certè significandum mandare.

Vale.

Finis.

Ad Lectorem.

HAbes hucuſq;, amice Lector eas Lodouici Viuis epiſtolas, quæ hactenus nec viſę, nec excuſæ fuerunt vnq̃. Quæ autem ſequũtur, ex eiuſdem operibus deſumptæ ſunt, atq; ideo ſanè præcedentibus adiectæ, ne ſi illę ſine his fuiſſent, ac viciſsim hæ ſine illis, haberẽt lectores ꝙ in hac editiõe amplius deſiderarẽt. Quanq̃ profectò nec ijs omnino incõmodũ fore putamus, ſi epiſtolę hę quæ hactenus in tenebris delituerũt vnà cũ iam impreſsis excuderẽtur, qui huiuſmodi genus ſcriptionis diſcipulis ſuis enarrare ſolent, vt hac occaſione Lod. huius epiſtolas, quæ quidẽ haberi potuerunt, omnes, ſuis vel priuatim vel publicè prælegant. Noſtrã ergo, ſi quã hîc iudicaueris, induſtriã boni cõſule. Va.

Ioan. Lodouicus Viues Eras. Rot. Praeceptori suo S. D.

PROGRESSO mihi cũ Card. Croio ad fines ditiõis nostri Principis, Erasme longè doctissime & optime, libuit proximam ingredi Franciam, & paruis paucisq; itineribus Parrhisios ire: vt & eos inuiserem, qui ex vetere mea familiaritate atq; amicitia illic supersunt, & nouos mihi ascicerem amicos, quibuscum praesens verbis coniunctioneque vitae, & absens suauissimè literis oblectarer: illud perincommodè rebar accidisse, quod eo tempore aduersum pseudodialecticos scripsissem, eosq; nominatim Parrhisienses: vnde non dubitabam quin multos illius notae homines, quos modò sophistas appellant, animo parũ in me propitio sensurus essem. Verùm re ipsa longè aliud sum expertus, quã ipse

ipſe mihi nimis profectò meticuloſa & ſuſpicaci cogitatione cõfinxeram. Venio Parrhiſios de via non feſſus, ſed oblectatus, & amicis per famulũ ſignifico me adeſſe. Conuolant ad me frequentes, ſalutant officioſè, gratulantur aduentui. Ducunt & illi ad me alios poſtridie ac reliquis diebus maximi nominis ſophiſtas. Inter colloquendum, vt fit, mentio ſtatim de illorum ſtudijs, mentio de meis. Ego diſſimulare ſedulò & occultare epiſtolã ad Fortẽ, & aderat quidẽ ipſe, quàm infauſtis nimis auibus putabam prodiſſe mihi. Ibi Fortis de Epiſtola ad ſe mea tacere diutius non potuit. Ariſere omnes, & non ſolùm ſe illã faſſi ſunt boni cõſulere: ſed habere quoq; mihi gratiam non paruam, quod id operæ in ridiculis dementiis confutandis locarim. Ingenia Pariſiẽn longè aliter nũc ſapere, q̃ quum ipſe ibi ſtuderem

derem philosophiæ. Tametsi nonnulli fabulæ se adhuc & consessui accommodāt, nec exuere omnino vel audēt vel sustinent personam pridem tam fauorabilem, & actionem adeò plausibilem: esse inter Hispanos qui sui exemplo magnum ad res meliores momentum afferant: Ioan. Pobiationem totius matheseos esse callentiß. studuisse & politioribus literis fœliciter, idem fecisse Franciscum Mellum, idem Gabrielē Aquilinum: idē se facturum pollicitum esse Ioannem Enzinam iuuenem omnium acerrimum, vt in commentis illis, disputatorem. Mille huic artes, si quis similibus congrediatur armis, impetendi, mille repetendi, totidem euadēdi, elabendi, eludendi. Dixerunt multa, vidi ipse plura in Martino Lusitano propinquo sui regis, cuius merita mentio totam sibi epistolam postularet:

qui

qui gustato illo sophismatum amarore, ita saporem illum exhorruit, vt natiuæ huic & veræ humanæ eruditioni se totum tradiderit, ne dicã, an immerserit? hoc credo, quò melius amarorem illum è palato elueret isto dulcore. Magnos habet in istis disciplinis progressus, in quibus quod suspicabatur me aliquid valere: mirum quã me beneuolentia, quo animo, quo fauore prosequutus sit. Longũ esset enumerare qui homines & quos honores mihi habuerint, ob eandẽ de ingenio meo opinionem. Nec solum principes nobilesque viri, qui vitæ ac generi cõgruas disciplinas suspiciunt, & consectantur, sordes relinquũt sordidis, sed etiã præcipui illius Academiæ Theologi. Vix enim credas quantus sit illorum candor, quantò interpretentur melius omnia, quàm multi quos nosti. Ignorant aliquid, dolet hoc eis, scientibus

tibus

tibus non inuident, discentes etiã excitant. Conuiuatus sum cum istis, & quidem frequenter, & suauiter. Ad mensam tertio verbo sermo statim de te varius, multus etiam sublatis mensis. O mi Erasme dicerẽ omnia, si paterêris te in epistola ad te laudari. Vtinam ad alium scriberem. Tacẽdum itaque erit inuito, quid illi dicant de Hieronymo tua opera sibijpsi restituto, quid de nouo Testamento suæ integritati reddito, labore longè Christianæ pietati vtiliore, quã quæ sunt intra mille annos in scholis clamata: quantum admirentur Paraphrases, id est, Paulũ apertius diuina illa sua eloquentem sensa, quantum Adagijs, copia, & alijs prophanis operibus tuis delectentur, & proficiant, vt Moria sit omnibus in delicijs, neminẽ offendat: nimirum quod maiestas illorum Theologorum durior & fortior est, quàm

quàm aliorum. O me rusticum & inciuilem, quod de his taceam: te durum qui iubeas. Sed erit locus, in quo non parebo tibi. Illud nunc feres velis nolis, nulla te illos ex parte spectare, vnde nō occurras summus, admirabilis, absolutus. Possum tibi plures quàm decem ex hominibus ordinis illius nominare, qui suam tibi omnē operam, diligentiam, fauorem, studium pollicentur, & deserūt: nihil se tua causa nō facturos: suas esse tibi apertas domos, si illuc iueris, paratas facultates, familias, opes, amicos. Precantur te, atque hortantur vt pergas, nihil indoctorum obgannitibus expauescens, de Christiana religione bene mereri, & in vniuersum de studiis omnibus; se dare operam ne in concertationibus Theologicis nugentur disputates. Et ita se res habet. Si quis argumentum ad Sorbonam afferat de Suisetijs con

textum

textum araneis, corrugant protinus frontẽ & reclamãt ſpectatores atque exploſionibus reſtant, reijciuntque è ſchola. Quin & in altercationibus philoſophicis, ſi quis ænigmatiſtes inſtructus veniat, pronunciato multis ſyncategorematis onuſto, & quod Ethruſco indigeat coniectore, re aliàs mirè ad pullatam ſcholaſticorum turbam gratioſa, is nunc clamoribus, ſibilis, exploſionibus, pertumultuoſè ex diatriba eijcitur. Nõ dubito quin his gaudeas, pro amore in bona ſtudia tuo, quæ profectò mihi iucundo fuerunt ſpectaculo. Quanquam res illa publica nondum potuit genus illud Sphingũ à ſe auertere. Et hæc quidẽ, quæ dixi, omnia pertinent ad oblectamentum, ad voluptatem animi mei, quam cepi Parrhiſijs non exiguam. Illud certè non ad eam ſolam, ſed ad fructum quoque peregrinationis meæ

vel

vel maximum facit, quod Budæum iam olim tuum, nūc meum, imò verò nostrum, videre mihi & alloqui contigerit. Proh Christe hominem cuiusmodi, siue quis ingenium spectet, siue eruditionem, siue mores, siue quod postremum in illo homine est, fortunā: quæ quum in eo sit splendidissima, minima tamen & obscurissima est, si cū magnitudine cæterarum dotium claritatéque conferatur. Natus est loco nobili imprimis, estque in ordine suo honestissima dignitate, ab vltima stirpe gentis ad eum deducta: tum etiā opibus instructus, quæ natalibus non sint pudendæ. Cæterum hac parte censendus ille non est. Nam cætera illa, vt solaria quædam sydera, stellam hanc fortunæ generisque obscurant. Gaudeo me ad te scribere, & de Budæo. Nam huius laudes exerta & clara voce prædicant libri, quos ædidit:

dit: & ipse admirari celebrareq́; non cessas hominis virtutes, quas malim multò de te audire, quã ipse narrare. Quàm multa legit, & quàm multum multa? Omnia quæ in hunc diem scripsit abunde ostendunt, quum nihil illi sit non lectum, nihil tamen illum legisse nisi accuratissimè. Memoriam quis nõ admiretur? Bibliothecas mediusfidius dicas hominis pectus, non pectus. Ita sunt illi omnia innumerato, historiæ, fabulæ, antiquitates, res omnes, verba omnia. Latinè sic scribit, sic loquitur, vt non sit cur magni nõis non haberetur ætate Ciceronis, si tũc vixisset. Græcè verò, vt profiteatur Græci ipsi posse ab illo doceri se linguam suã. Philosophiæ quũ esse illum peritissimum clamant volumina quinque de asse, tum verò quantum teneat, nemo facilè crediderit, nisi qui eum propius spectarit, & ex interiore

teriore, quod aiunt, vita norit. Quemadmodum sit in autoribus versatus, nolo quisquam sciat me dicente, sed magistris annotationibus in Pandectas iuris, & libris de asse. Quod opus eius Hermolaos omnes, Picos, Politianos, Gazas, Vallas, cūctam Italiam pudefecit: ita vt non minus prudēter illud, quàm verè scripserit Tonstallus homo doctissimus, fore, vt derisui habitus esset Budæus, si opus de asse antequam æderet, professus fuisset se scripturum. οὐδ᾽ ἐκεῖνος ψευδὴς, ὅστις ἐπέγραψε μωμήσασθαι ταῦτα ῥᾷον ἐστὶν ἢ μιμήσασθαι. Quid ego de moribus loquar? Quid non est in eo summum & suspiciendum, facilitàsne, & humanitas, tum etiam æquitas? an pietas in diuos & mortales? Aditus patebat homini ad amplissimā fortunā apertissimus, si vel latū vnguem sustinuisset ab exactissima illa et suis oīb⁹

numeris perfecta virtute discedere. Hanc prætulit omnibus fortunæ promissis, omnibus blandimentis. Nunquam splendore opum perstrictus ab æquo sanctóque oculos deflexit. Scis tu hæc omnia esse vera, & eloquentia tua non maiora illa quàm sint, facis: nescio an posses, ita iam ad summam peruenere, sed certè ornas, & sic rem sè habere persuades. Diligis tu atque adeo amas Budæũ. Est tibi vnus ille in his cisalpinis terris, quem perpaucis Italorum non præferas. Sic de illo sentis, sic colis, venerarisque ingeniũ, & studia eius: ille vicissim te, nõ quo gratiam referat, sed quòd ita sentit, principem te literarum huius ætatis prædicat, in fastigio locat eruditionis. Ingenium, doctrinam, monumenta tui religiose colit. Famæ ac nominis tui studiosissimus est. Pergite vos amare mutuo, vos colere, vos admira

ri,

ri. Duo estis corpora, sed in ijs vnicus est animus. Quo spectaculo potest esse gratius aliquod studiosis omnibus aut iucundius? Nam quod tecum epistolis lusit paulo, vt videbitur forsan ijs, qui vos non norunt, acerbius, & contra id quod vestram amicitiam decebat, multa vt tum ex vtroque vestrũ tum etiam ex re ipsa intelligo, in causa fuerunt. Primum quod vterque occasionem quæritabat prolixè ad alterum scribẽdi, nec semper de laudibus. Nam id perpetuum longumq́ue nõ potest esse: aut si potest, est tamen suus cuiusque rei modus. Quumq́ue eloquẽtia ipsa sine aliquo velut antagonista iaceat, libuit initio vos leuibus quibusdam stimulis inuicem pungere Quid enim est orator, si vel solus dicat, vel non ab alio sollicitetur atque excitetur? torpeat necesse est languéatq́ue. C. Erucium scribit Cicero

negligentissimè Roscium Amerinũ accusàsse, quod neminem suspicaretur fore, qui responderet. Itaque primum de operibus vestris iniecta mentio, cãpus dicendi non angustus. Nam scripsistis plurima, & eruditissima, & quæ sunt in manibus studiosorum omnium frequentia. Dumq́; alter ab altero cur quicque fecerit rationem poscit, ac vterque consilia scriptionũ explicat, leniter vel à se auertit, vel in alterum reiecit, quod alter si non improbabat, certè ita factũ esse mirabatur. Hinc prima origo concertationum. Puduit vtrunque non approbari alteri, per omnia. Et dum longius repetitis consilia, & consiliorum causas, prodijt tua ad Fabrum Apologia, quæ velitationẽ paulò magis accẽdit: dũ tu Budæo nimius videris, aut certè videri fingeris, ne pergas alijs scriptis Fabrum impetere: tibi contra ni

mis

mis quàm paucus modicusque existi-mare. Hinc progressum est ad illa, quæ quidam iam nimia, iam atro-cia, & intolerabilia iudicarunt, quum tibi, quod vnum Budæus sa-tis sibi esse putat, nunquam ami-citiæ claustra videantur excessisse. Ac ne mihi quidem rem totam atten-tius perpendēti: nam & liberè vterq; est locutus, confisus simplicitati ami-citiæ: & ioci illi qui extraneis armati ac dentati existimantur, amicis iner-mes sunt, non vulnerant, non mor-dent, ac vix etiam pungunt, sed titil-lant solùm. Nam & animus quo di-cebātur, nihil minus cupiebat, quàm lædere: & ipsa dicta, si non mel, certè nec fel habebant, sed salem, & lusus. quales ipsa quoque dictat amicitia, etiā nō ex vulgari nota, sed ex præci-pua illa et Germana, cuiusmodi inter Ciceronem et Atticum Brutūq; fuit,

qui ſeſe plærunque non ab ſimilibus epiſtolis laceſſebant. Certè de Budæi erga te animo, tametſi eum tibi exploratiſsimum perſpectiſsimumq́ue eſſe ſat ſcio, tamen nihil nō auſim tibi polliceri. Oſtendit ille mihi literas ad ſe à furiis quibuſdam (nam ſic melius quàm homines nominaro) ſcriptas, qui diuidere veſtros animos, & ex vnico duos facere moliebantur, ſuſpiciones afferebant ſiniſtrè detortas, et ſemina iactabant diſcordiarum ex ipſius Alectus ſinu petita. Dixi quæ mihi pro tempore videbantur, vt Budæi animus, ſi quid forte ex tanto veneno acerbius concepiſſet leniretur, ac placaretur. Sed nihil mea oratione opus erat. Nam ille quū erga alios omnes tenaciſsimus eſt ſuſceptæ amicitiæ, nec facilè ab amicitia etiā laceſsitus iniuria diſcedit: tū verò te ita in animo ſuo amoris ac venerationis radicibus

dicibus

dicibus defixit, ut nulla inde vi reuelli queas. Spondeo tibi pro illo, ut illi pro te feci, amicitiam vestram perpetuam fore, quæ literis, quæ studiis omnibus haud dubiè gratissima semper futura est, ac utilissima. Nec huiusce rei auderē sponsor esse, nisi vos tali prudentia præditos esse scirem, ut rebus ipsis sitis semper magis credituri, quàm rumusculis, quàm obtrectatoribus, quàm amicis consulentibus, idq́ prauo aliquo inductis affectu. Sed his de rebus satis. Spero vos tam feliciter fausteq́ fundamenta iecisse vestræ amicitiæ, ut vi sua stet perpetuo, nec dirui aut labefactari machinis ullis poßit. Redeo ad peregrinationē meā. Putarunt amici grande piaculum fore, si quindecim dies cessarem à prælegendo: ita mecū agere cœperunt, ut & Parrhisijs aliquid clamosè nugarer. Placuit. Ac

ne quid esset serium, somnium delegimus, in quo si dormitassem, non viderer discedere à decoro. Itaq; iacens ac subinde dormiens somnium illis somniaui Scipionis, à quo excitatus parabam confestim digressum. Multa me illinc auocabant, sed retinuerunt aliquandiu amici tam veteres quàm noui, molestè officiosi, qui mihi tot conuiuijs, tot commessationibus cruditatem iam pepererant: & fuisset res longius progressa, ni reddita mihi peropportunè fuisset à Cardinale epistola, qua subito reuocabar, Ea lecta iussi illos cum suis ientaculis, prandijs, merendis, cœnis, cum suis pintulis, & artocreis paruis, magnisque quàm optimè valere: dieque postquam illinc discessi quinto, qui diuæ trinitati fuit sacer, perueni Brugas essedo vectus, postridie hæc ad te scripsi. Vale etiam atque etiam, & salue mi præceptor.

Ioan-

Ioannes Lod. Viues Clariss. Viro D. Desyderio Erasmo Rot. praeceptori suo colendissimo S. D.

NVNC primùm renunciat mihi Laurẽtius Decanus, Stephanũ comitẽ iturũ istuc: si quid vellẽ mãdare, discessurũ eũ hinc cras sub solis ortũ. itaq; accipies à me, quae in mẽtẽ nũc veniunt. Nã habebã in animo literas tibi scribere longi subsellij, vt ait ille, si tabellarium inuenissem, à quo essem submonitus tempestiuè. Louanio, pridiè quàm illinc abirem, dedi Regẽti Lilij literas ad te, μετὰ παροιμιῶν τινῶν, credo esse redditas. Et significabam tibi, me iturum postridie Antuerpiam, vbi inueni Ioannem tuum in conuentu mercatorum. quem paulò post requisiui, vt ad te scriberẽ: iã nusq̃ erat miratusq; sum nihil

nihil eum attulisse mihi abs te. Cũque Antuerpiæ non conualescerem, veni Brugas, ratus me non mansurum hîc supra hebdomadas duas. iam sextam hîc ero. vsq; adeo infixus hærebat hic morbus: maxima tamẽ pars abiit. & quod restat, nõ me magnoperè terret. sed cùm hîc hactenus desedi, manebo hîc Regem, & Morum, vt videã quo pacto sit mihi viuendum posthac. Pecunia Reginea me hucusque alui, & alo. Moro scripsi me prolixè collocutu rum cum eo, cùm venerit: suspicari po test quid velim, sed non apertè quicquam, quum nollem te inconsulto. tametsi consilium tuum propemodũ noui, vt parem ocium ad vitam studiosam, vndecunque queam: quod cũ alia præstitero omnia, nõ est in manu mea præstare. quod si in eo solo sita est for tuna, non est suæ quisque fortunæ faber, vt dicebat Appius. Habes quæ hacte-

hactenus egerim, quæque ſim breui acturus. ſcio quæ ſubeat animũ tuum cogitatio: De Auguſtino quid? ſex libros habeo paratos, hoc eſt recognitos. nã alij permulti ſunt ſcripti. quos ſex poſſem mittere, ſi, qui exſcriberet haberem. Cæterùm ſi non mittantur hoc Auguſto, mittentur ante hyemem vt ſpero. Scit Deus quantum ea res me angat. ſed vis me θεομαχεῖν: *malui differre Auguſtinum, quàm vel immori labori, vel euadere inutilem alijs laboribus oppreſſum morbis, & ſine vllo inſtrumento vitæ. Hæc enim recuperare difficilè poſſem ſemel amiſſa: illum dilatum facile erit in manus ſumere, cùm volam. Rogo te etiam atque etiam, vt ſi nõ vel tempori, vel ſorti, vel fato imputandam hanc culpã cenſes, mihi ſaltem hanc facias huius errati gratiam, ſiquidem per me erratũ.* πέμπω πρὸς σὲ καὶ παροιμίας ἄλλας, *quæ inter legen-*

legendum occurrerunt. fac vt per hūc eundem qui has ad te pertulit, rescribas nobis, si modo vacat: & si scripto aut non potes, aut non vis, verbo certè effice, vt de tua valetudine statuq́ rerum tuarum mortaliū intelligam, quas ego non minus charas habeo cuiroq́ue quàm meas. Vale præceptor omnium chariss. Brugis. x. Iulij, 1521.

Idem eidem.

EXpectatißimas tuas literas accepi his diebus superioribus, quæ mihi, quod abs te eßent, nō potuerūt eße non gratißimæ: quòd uerò nec te valere, nec res tibi ex animi tui sententia procedere significarent, maxima mediusfidius molestia me, seu mœstitia potius affecerunt. Voluissem, quum hic nouißimè fuisti, mecum esses colloquutus, narrassem tibi quæ audiui. etsi ea ipse nec vera esse puto,

to, nec verisimilia: sed vt magis quorundam animos haberes exploratos, quos tibi incognitos non esse sat scio: & quæ forsitan si ex me audisses, minus nunc rumoribus istis, quos in Germania quoque dissipatos scribis, mouerere. Lutherianum te hîc existimari certum est: sed ab eisdem, quos ipse quum adesses, non ignorabas, si quid esset odij & inuidiæ plenum, tibi solitos impingere. nec faciliorem viam existimant minuendæ famæ atque existimationis tuæ, quàm si te cum Luthero coniungant. Qui hæc conantur, non sunt illi quidem multi, sed aßiduò clamant, & inculcant, nihilque omittunt quod ad hoc persuadendum putent facere: & maximè vellent persuasum Cæsari ac principibus: tametsi hoc quantum intelligo, non apertè agant,

neq;

neque directè, sed obliquè, & per occasionē. in aula sunt theologi aliquot Parrisienses, hi quod in te probant solum est, quod de Luthero semper te pronunciasse dicunt ambiguè. sed isti facilè te ferunt, modò Lutherus opprimatur. Est Augustinianus quidā tractus per hosce dies ex Antuerpia Bruxellam in ius. eò conuolarunt ὁ χωλὸς καὶ ὁ κάμηλος. istos audio criminose quibusdam conuiciis loquutos esse de te: quod iam faciebant, antequam Lutherus nasceretur. nunquam sic Orestes insaniuit aut Hercules, vt isti duo. sed incredibiliter saxicida cuius omnia, siue loquatur quid, siue agat, mera sunt saxa. homo dignior tragœdia, quàm illi veteres. ὁ ἄγγιλος ῥωμαῖος, homo aperto pectore, neque sua neque aliena celat. queritur, affectū se multis iniuriis abs te, sed non posuisse tamen veterem amorē. dixitq́ʒ ducem

Alba

Albæ tibi esse infensum, quod in Hispaniam scripseris ad Barbyriũ, Hispanos Luthero fauere, vt credantur Christiani. quod credibile non est. nã non puto te id scripsisse, & quanuis per iocum scripseris, quis ea potuit ad illum perferre? deinde ipse colloquutus sum cum eius filio, qui narrabat patrem incidisse nonnunquam in sermonem de te, nullam tamen eius dicti fecisse mentionem: quo tamen esset animo, non potuisse cognoscere. nã ipse in neutram partẽ vlla prodebat signa. & est hic sodalis κῆρυξ, non taciturus, si quid comperisset. nam neq; tacuit hæc duo: prius, dixisse te Antuerpiæ bibliopolæ, vt venderet libros Lutheri, nihil veritus diploma: alterum, Lutherum, quum vt recãtaret, incitaretur, respondisse nõ id esse sibi integrũ incõsultis ijs quibus autoribus & impulsoribus negotium hoc susce-

pisset. suspicari se te esse inter reliquos, & de primis vnum nominatũ. hic est omnis fons rumoris in Germania sparsi. quem tu etiã quũ adesses, ferè totũ videras. nã qui de te sic sentiebant, antè tanquam de Christiano alijs nominibus non addicto, in eadẽ adhuc sunt sententia. ac planè fama vires acquirit eundo, nebula hæc est, quam ipse procul spectans ingentem putas aliter dicturus, si propius admotam cerneres, & tangeres. nec mirum, homines de rebus quæ procul aguntur, sic mentiri, quum hîc quotidie narrentur nobis Bruxellæ & Meclniæ agi, quæ ne sunt quidem vnquam cogitata. Itaque commoueri te hisce vocibus nihil oportet. qui hîc te Lutherianum vocant, & qui in Germania minimè Lutherianum, vtrique ijdem sunt, & eandem rem agunt: sed pro qualitate &

theatri & spectatorum mutant personam, in inuidiam tamen conantur trahere, & munitum omni alia parte hàc tentāt inuadere. Aulicis tuis amicis vellem scriberes, qualis tibi calumnia per sceleste inimicos homines intentetur, vt ad Deloinum: & si tibi quicquam est amicitiæ cum Cæsareo confessore, cui fides in aula non minor quàm Christo: & ipse eò ibo post solutum Augustinum, vbi calore meo non parum huius nebulæ dissoluam. nam neque me infimum omnium censet. & ago vt sim de familia Fernandi. sed hoc Harpocrati, ne si emanarit, impediri possit. ἄγγελον si commodè posses per occasionem honorificè nominare, redderes ἕλον σόν. nam questus est mihi, te non retulisse gratiam περὶ τοῦ ζᾶ in Stunicam. intelligis puto. vide quibus moueatur: aut potius quid de te sentiat;

quum tantoperè cupit laudari abs te. isti verò alij mordent acrius morituri vt quædam bestiæ. nam hanc iuuentutem constat eos non habituros. quæ tota est tua, hoc est bonorum studiorũ, & Christi. saccidam collegæ oderũt, & ferunt. tantos spiritus sumpsit ingressu huius domus Cameracensis, & arbitrantur eum plurimum posse, quod puerum sectetur. ò homines vmbris exterritos, quasi vel quem sequitur, aliquid possit. Vel ille quantũ dominus potest, possit. Decretum animi tui est, quale semper fuit, Christianum: & indubiè paratum est tibi à Christo, ingẽs illius & copiosum præmium, quandoquidem tam mala tibi ab hominibus refertur gratia: tamen etsi quãtum ad hos spectat, prout fuerit tui studiosus vel secus nouus Pontifex, leniet, aut asperiores reddet horum voces. sed quæso te, vis tu commu-

nem

nem bonorum hominum sortem recusare? per Christum rogo te etiam atq; etiam mi Erasme, ne te angas animo, ne præcipites senectutẽ tuam, demissis in imum pectus istis rumusculis. nã cui & Christus ipse, & boni omnes & innocentia conscientiæ tantopere fauent, non est à malis nocere facile. tibi enim quum culpa vacaueris, quæ est vna bono viro in vita præstanda, quem tibi exitum statuat Deus, curandum non est. sed ego hæccine tibi? Varranum, & Thaleum & Mauritium habeo auditores, & charos, sed commendatione tua priores illi erunt chariores, & hic postremus: si modò charior potest esse. De Augustino absolui tredecim libros. septẽ sunt recogniti & transcripti: sex alij premuntur aliquandiu: interim aliquid accrescit. iuueniliter statui mihi tam breuem diẽ, non expenso negotio tam

 longo,

longo, & vario, & recondito, vsque adeo multis historicis rebus, fabularibus, naturalibus, moralibus, theologicis referto, quæ tu non ignoras. explicarem rationem totã laboris mei, nisi ad te scriberem. peto à te ne ægrè feras paulo serius expectatione tua mitti, modo omnino Augustino indignum opus exeat. verberasti animum meum illo tuo verbo. Non ero tibi toties flagitãdo molestus. Videris enim nolle me posthac admonere vtilitatis meorum studiorum. incitatio enim ista tua, & etiam vt tu vocas, efflagitatio, quid aliud est quàm calcar, quod me alioqui cessantem, ad egregia opera stimulat: & efflagitationem hanc nominas? quid ergo præceptoris vocabis monita? vis esse tam in amicos & discipulos ciuilis, vt mœrore eos afficias, quum vident secum velut cum leuiter notis, aut ti-

bi

bi paribus agere. nondū & agendo et dicendo potuit tibi Viues persuadere te nihil posse facere sibi molestum, nisi quum, ne sis molestus, times. tale est illud in superscriptione, Amico meo obseruando: nec obseruando, sed etiam, si dijs placet, imprimis obseruando. si posthac adhunc modum permiseris istum siue Ioannem, siue Liuinum scribere, reijciam literas. Cui obseruandus ego sum, is non est Erasmus. per omnia iura amicitiæ, & vniuersa tua in me beneficia, & si qua sunt mea in te officia, te precor, vt me vtaris familiarius. Gaudeo te sic esse in Germania exceptum: quanquā mihi nihil noui id fuit. Gaudeo quoque habere te isthic Velium, cuius, vt puto, extat carmen de te genethliacon fœlicissimum mea sententia. saluta eum nobis, si ita tibi videtur. & Buschium. simul &

Rhenanum, si istic adest. Mauritius salutem tibi plurimam. saluebis & à Ioanne Clemente, qui non ibit in Italiam ante proximum ver. is dicit multùm doluisse, quòd se inscio profectus sis Basileam. nam si resciisset, comitatus esset te, & mansisset istic hyemē totam. agebam de conducendo aliquo quum commodè me Franciscus bibliopola submonuit, missurū se quàmprimùm istuc ad te nescio quos libros: si quid vellem perferri, adiuncturum se reliquæ sarcinæ: itaque iussum est illi committere septem libros recognitos iam à me: incipiat excudere Frobenius, si sic tibi videtur, decem alios usque ad decimumquintum. mittam haud dubiè ante quadragesimam. reliquum per Franciscum ipsum, quum ibit ad mercatum Francfordiensem. ex istis septem poteris cognoscere, si quid modo vacat legere alienum,

num, quam rationem commentariorum sum sequutus. etiã si reliqui præter octauum, nonum, decimũ, & decimumoctauũ, minus habent & operis & operæ: quoniam non ita sunt varij: & magna pars eorum quæ in illas tractat, passim est cuiuis obuia. Cura, rogo te, vt excudãtur aliquot cẽtena exemplariũ istius operis à reliquo Augustini corpore separata: nam multi erũt studiosi homines, qui Augustinũ totum emere vel nolent, vel nõ poterunt, quia non egebunt, seu quia tantum pecuniæ nõ habebunt. Scis enim ferè à deditis studijs istis elegantioribus præter hoc Augustini opus nullũ ferè aliud legi eiusdem authoris. Vale iterum atq; iterum mi optime præceptor. Louanij. xix. Ianuarij. 1522.

Viues Erasmo.

EPistolam tuam accepi Basileæ scriptam pridie Nonas Februarias

rias: & accepi non resignatam prorsus, sed signo ita luxato & obscurato, vt facile esset deprehēdere, fuisse apertam in via. De Ciuitate Augustini gaudeo seorsim edi, & habeo tibi ingentem gratiā, qui hoc curaris sed velim etiā & cum reliquis Augustini operibus excudatur, ne desit hoc mēbrū corpori suo. quod credo Frobeniū facturū, vt & separatim aliquot et cōiunctim aliquot imprimat. Voluisse lectis nōnullis paginis in ijs libris quos misi, iudicium ad me sententiāq; tuam perscripsisses, vt scissem quid vitandum mihi, quid sequendū, quid tenēdum esset. ego enim in hoc opere breuitati quantum potui, studui placere. incurrerunt quidam loci in quibus id præstari non potuit, vt quum erant res non admodū Theologis nostris cognitæ. sicut historiæ, fabulæ, Philosophica, præcipuè Platonica.

Ideo

Ideo in octauo & decimo libris longior fui forsan quàm oportebat: tū vt recondita illis aperirem & proferrē, tum vt Platonica prorsus non ignorarent, viderentq; hæc nihil Aristotelicis cedere, & inciperent alios quoque magnos authores velle cognoscere: nec tamen omnia conieci quæ potuissem: multò plura prætermisi quàm attuli. in alijs libris facilè institutā seruaui breuitatem, quoniā historiæ ex sacris libris petitæ notiores sunt etiā vulgò, quàm vt debeant fusius explicari. & theologica argumēta nō sum multis executus, attigisse contentus, alioqui nullus fuisset modus: nec gloriæ tā seruiui, q̃ forsan putas. etsi nō nihil quoq; est ei datum. sed neq; tempus, neq; operis ratio magnopere me de gloria siuerunt cogitare. plus enim voluissē tēporis ad opus quod totū auræ tribueretur & noī. Deinde nescio

quo pacto commentarij nisi sint in sacras literas, non habent genium illum qui magnum excitare nomen possit. opus ingentis gloriæ totum futurũ est autoris ipsius, non debet in aliũ scribi. Verũ ita est à nobis, quantũ licuit, elaboratũ, vt nõ diffidã fore quin lector me & tibi, quo authore opus suscepi, & Augustino, & gloriæ seruire voluisse cognoscat, quæ iocatus sum in interpretem non omisi, & alioqui in præfatione, etiamsi non monuisses, erat animus ostendere, cuiusmodi homines in Augustinũ scripsissent, idq; faciam & propinabo illos lectori bellissimè ridendos. tum in opere ipso interspergo velut flosculos ex eorũ commentariis, & Passauantij additionibus, quorum lector suaui odore reficiatur, minusq; sentiat viæ molestiã. Ex ijs quæ nunc mitto, cognosces quàm ego illorum inuidiam metuam. vitam

Augustini mallem ipse adderes. nam ego non confido meo iudicio eam collecturum, quo tu soles omnia. & iniuriam fecero sancto, si quid tu de illo esses scripturus, ipse scriberem: ineptijsq; meis in causa forem, quò minus vita illius, eloquentia tua illustrata veniret ad posteros. ego verò te potius rogo atque hortor vt eam scribas. Mitto hic decem libros ab octauo ad decimum septimum: reliquos quinque sub Pascha, aut paulopòst missurus. confecti sunt maxima ex parte, nunc recognosco: & in chartam mundiorẽ describendos statim curabo. autographum seruabitur apud me in sanctuarijs neq; enim nescio quàm à me damnose peccaretur Frobenio, si cui facerem copiam. sed velim quoque vt is vicissim neminem admittat ad lectionem eorũ quæ excuderit, priusquàm absoluerit totũ opus. nec id dico sine

magna caussa. Video te semper omnia vitæ tuæ præsidia in innocentia ponere. qua vna fretus magnus ille orator, & in reip. procellas tempestatesq́; ingressus, facilè se simultates omnes cõtemnere profitebatur: & profectò fieri aliter nequit, quominus Deus tibi bene velit, vt qui cogitas nõ esse hanc æui nostri breuitatẽ dignã vt ob eam tuendã tumultus et tragœdias excitemus. De Aleandro non dubito ita esse vt scribis tametsi ipse cum Leodio rediret Bruxellã, iurarit mihi, se dignitatem tuã apud magnates oẽs semper esse tutatũ. nunc ad Hispaniã cucurrit ad nouũ Pontificẽ. de quo oẽs optima & maxima sperant, atq; ominãtur. faxit Christus, vt is creatus sit in remedium tantorũ malorũ ecclesiæ suæ. Quod istic metuunt tibi amici ne aliqui stringãt in te styli aciẽ, hoc, vt Cicero respondit, beneficiũ est. Quid enim

enim amplius & copiosius quã Erasmo, & pro Erasmo dicere? O quàm facilis, & quàm nõ vera modò, sed etiam verisimilis est defensio innocentiæ. tu quam vitã conscientiæ tuæ maximo rerũ omniũ testi approbas, diffides te alijs approbaturum vel inimico iudici, vt ille Scipio. De monacho nigro doleo te tã sero in sentẽtiã meã venisse. illud verissimũ est, vitandũ amicũ qui obesse potest, prodesse non potest. Stunicã longas in te parare et atroces inuectiuas narrauit mihi Vergara, recitauitq; illius epistolã missã ad se Roma, qua id se facturum minatur. epistola est Hispanè scripta qua respõdet literis Vergaræ latinis. Nã id miratur Vergara illũ vulgari sermone rescribere latino talẽ epistolã. nec Thraso, nec Pyrgopolynices scripsissent nondũ cũ aliquo Hispano. De Stunica sum collocut⁹ quin odisse illi⁹

mores

mores dicat arrogãtiam, iactantiam, maledicentiam, inuidentiam suprà quàm explicari poßit & credi. Scripsit etiam virulentißimum librum in Fabrum. is liber animos multorum irritauit, alienauitque ab eo amicos plærosque: quin & aiũt illum nõ posse pati aliquos esse inter se amico animo: laborare semper & anniti, vt eos non tantum disiungat, sed etiam committat. hoc dixerunt mihi, quos ipse ex coniunctißimis infestißimos inimicos reddiderat. Megæram dicas, non hominem. ab huiusmodi moribus prædito magna laus est vituperari, cui placere nemo poßit, sine suspicione similitudinis morum. mihi vnicus ille versiculus venit in mentem, quo te cohorter: Tu ne cede malis, sed contrà audentior ito. Forsan longè aliter dicerem, si istic essem, sed tamen non suademus, quod nos facere

mus

mus in simili rerũ statu collocati, sed quid faciendum esset. peracta tibi est maiore ex parte vitæ fabula. quod superest, plausui da totum, non spectantium modò & præsentium, sed Christi, cui tot labores sunt tibi desudati, sed consciẽtiæ tuæ: & si quid spectantibus quoque tribuis, posterorum potius, quàm præsentium. illi enim sublata inuidia, cæterisq; affectibus puriè verumq; Erasmum considerabunt, reddentque meritas tibi laudes, tanto copiosius quãto iniquiores tibi tui seculi homines fuerũt, virtusque tua minus est ab ijs cognita, inter quos versabatur, quod Socrati videmus contigisse. rogo te etiam atque etiam, ne te afflictes: cogitesque si te vnum spectes gloriamque tuam te satis vixisse, & interesse iam tuæ posteritati. arguere enim ex nonnullorum bonorũ iudicijs potes, qualis de te apud

nascituros populos futurus est sermo. quod si reputes, pro lucro deputabis id quod posthac viues, viuesq́; securus & letus: atq; id demum erit viuere sine anxietate, sine solicitudine: facietq́; te ætas tua multis canis munita multorum latrantium contemptorẽ: & ipse velut fatis exemptus, & in excelso quodam existimationis bonorum hominum positus loco, infra te videbis omnia. Sed ego iã incipio obliuisci ad quem scribo. Credo te accepturum à Moro literas per Clementẽ qui his proximis diebus profectus est in Italiam, transiturus Basileam, vt dicebat, postremis ad me literis. Morus nihil de morbo suo scribit, credo reualuisse. Nã prioribus iam se cõualescere significabat. Initio Quadragesimæ veni Brugas, quod Quadragesima Louaniensis incommoda mihi est semper in oppido tam mediterraneo,

vbi

vbi pisces nec edimus, nisi iam putres & nõ ad stomachum meum paratos. paucis antequã venirem diebus obierat nobis Petrus Laurinus, quod dolui haud sanè mediocriter. Decanus te salutat, qui superiore hebdomade profectus est Bruxellam. narrauitq́ mihi salutari te ab Abbate. S. Bauonis Gandensis, qui hisce Calendis Ianuarijs parauit tibi in aduentũ tuum strenas aureas, nescio quid rerum, pecuniam credo. De Ferdinando nihil adhuc procedit, & vt lentè ac frigidè id ambio, nescio an procedet. Dux Albæ offerebat non contemnendã prorsus conditionem, si per fratres rescire potuisset. cupiebat enim ille impẽse nepotes illos suos, quos habet in Hispania ex primogenio filio à me erudiri. cùmq; ageret de mittẽdo ad me cubicu lario quodã suo, qui rem mecũ trãsige ret, offerretq; ducẽtos aureos ducatos

annuos mercedis nomine, interuenit Frater quidam Domicanus, rogatq́; ducem ecquid Louanium mandet? se postridie iturũ eò. Nihil, inquit Dux opportunius. quæso te loquere cum Viue, & ex eo cognosce, an vellet hac mercede instituere nepotes meos. & simul nobilis quidam Bertrandus, is qui te Andrelaci inuisit, dat ei literas ad me, quibus certior de toto negotio fiebam. venit frater Louanium, colloquitur mecum plus decies, nec de Duce verbum vllum, nec literas Bertrandi reddit. Dux vbi me videt cunctari, aut admonitus forsan à fratre me recusare, præficit iam hinc pueris Seuerum monachum. ignarus ego harum rerum omniũ, venio Bruxellã, ibi expostulat Bertrandus, quòd epistolis suis nihil responderim. cui malùm, inquã, epistolæ? seriò, inquit, cui epistolæ? seriò, inquam. tunc narrat

mul-

multis præſentibus, rem ordine. quorum plerique affirmabāt ſe interfuiſſe, cùm Dux illa mandaret fratri, ſe dolere impendio, quòd conditionem ſim aſpernatus, fuiſſe futurū vt nuſquam magis ex animi mihi mei ſententia vixiſſem, quàm ſecum, hoc eſt cum hominibus mei amantiſsimis, iā integrum non eſſe mutari: quod inter Ducem & Seuerū cōueniſſet. Bona, inquā, uerba: ego ſcilicet aliquid aſpernarer, quod mihi à Duce offerretur? cùm ſemper auidiſsimè quæſierim occaſionem aliquam oſtendendi, quàm eſſem animo in Ducis obſequium propenſiſsimo. Agere me illis gratias de eiuſmodi in me animis, & non tam ægreferre interceptam eam conditionem, quàm animum ſceleratum fratris & hæc patimur à fratribus quid facturi ab alienis? iam non contenti eruditionem impetere, etiam in fortu

nas nostras inuadunt. Deus ipse vindex erit. Vale etiam atque etiam mi præceptor. Brugis, Cal. Aprilis. 1522.

Viues Erasmo.

LIteras tuas quas scripsisti xiij. Cal. April. accepi Non. Maijs, nescio quemadmodũ tam lentè perlatas. Cancellario reddidi, quas ad eum scripsisti: qui vbi legisset superscriptionem inter resignãdas eas reuidẽs, ad nos conuersus (aderat enim Narcisus medic⁹) errauit inquit D. Erasmus in nomine. nã scripseras prius Guielmũ: deinde hoc deleto superscripseras Mercurinũ. sed haud dubiè mihi subrisus ille non tam ex ea causa videbatur oriri, quã ipse prætendebat, q̃ gaudio tuarũ ad se literarũ. tum legit duplicẽ, vt mihi quidẽ videbatur, epistolam: alterã non scriptã manu tua, nec litera Italica, eamq; legit priorẽ. Dehinc quã vel tu, vel aliquis tuorũ

scri-

ſcripſit & legit attētè, nec perfunctoriè. tū quæſiuit ex me, an quid aliud ad ſe ſcripſiſſes? negaui, aliud me ad eū habere: atqui inqt, hæ literæ aliqd videtur aliud ſignificare. reſpōdi, me id neſcire. loqtur hic, inqt, de via quadā nec explicat q̄ ſit. quæſiuit Narciſſus, quomodo valeres. reſpōdit ille, te calculo aſſectū ſcribere. tū ſubticuit, atq; ita eo ſalutato abij. Nondū venerat Cardinalis Leodiēſis, venit noctu. poſtridie cū ad eū eſſem profectus, inueni eū in veſtibulo dom⁹ parantē ire ad Cæſarē, reddiq; literas tuas quas viſus eſt accipere libens, dixitq; ſe lecturū: et cōſcendēs mulā, reſignauit eas: cœpitq; legere. illinc rediēs offēdi Hilariū noſtrū pulſantem noſtras fores, qui nūciauit te bene valere. quod equidem gaudeo nō mediocriter. De aduētu huc tuo nihil dicebat ſe habere certi, præterq̄ quòd nō dubitaret te haud

diu abfuturum. multi te cupiunt adesse, etiam ij qui plurimum possunt in hac aula, ac penes quos putatur esse censura ingeniorum ac studiorum. nisi fucum omnibus faciunt, & vehementer simulatas gerūt voluntates, quod in nulla aula nouū est, nec in hac rarum. hodie loquar Coronello, quem nondum conueni, ex quo huc venit: si quid ex eo cognouero, quod credā tua interesse abs te non ignorari, addam his literis, si modò non misero: sin misero, scribā per alios. Vergara salutat te. qui narrauit mihi, Hispanū quēdam, qui nunc agit Romæ, Mirandā nomine, scripsisse de tribus aut quatuor locis Annotationum in nouum Testamentum tuarum, sed modestissimè ac honorificentissimè monens potius id agit, quàm reprehendens, aut obiurgans. opus aiebat sibi esse dicatum. dicebant hic in aula esse qui haberent

berent: si nancisci possum, dabo huic Hilario ad te. Coronello sum locutus, & quidem prolixè, ἵνα τὴν ἐμὴν εὐδαιμονίαν αὐμάξῃς. Primum recensuit occupationes suas in Lutherianos. ideo dicebat se non potuisse rescribere tuis literis, quas mihi ostendit respõsurum se antequam Brugis abeat. Vereri iudiciũ & censuram tuã propterea non posse expedire rationem aliquam responsionis. Versari se in angustia & inopia rerum ac verborũ, sed verborum potius. te si ita sentit, vt mihi est locutus, & deierauit se ex animi sentẽtia loqui, alterum Hieronymum aut Augustinum putat, seq; studiosissimum tui nominis esse ait. admiratorẽ tuorũ monumentorũ, quæ purissima esse & Christianissima prædicat. depugnaturum pro illis non secus ac pro Euangelio Christi. Tum ego: Qui sunt igitur qui illum ceu Lutheranum inces-

ſunt? nulli, inquit, ſunt. nihil iã loquũ tur, ſunt ſtupidi, qui ita iudicant, hæc confabulationis ſumma: diremit nos hora cœnæ. Libellũ Mirãdæ nõ habe bat. Bruxellæ dicũt eſſe, ſi poſsum ali cunde, eũ tibi expiſcabor. Hodie ve= nit ad me famulus quidã Leodienſis Hiſpanus qui olim mihi miniſtrauit, narrauitq; Leodienſem tradidiſſe li= teras tuas dominico cuidam Italo. quem hîc apud eũ Aleander reliquit, ac ſuſpicor eſſe Aleandri propinquũ. hic dominicus vbi legiſset literas, di= xit ijs qui aderant: Eraſmus excuſat cùm nemo accuſet: & queritur de A= leandro, cum hic honorificè ſemper de illo ſit loquutus, ac literas ſcripſerit Pontifici beneuolentiæ in eũ pleniſsi mas. Pratenſis hodie aut cras profe- cturus eſt in Britanniã legatus perpe tuus: dixitque mihi Leodienſem oſtẽ diſſe ſibi tuas literas. eſſeque ſollicitũ

quod

quod æger significares te scripsisse. Cãcellarium tibi impendio fauere dixerunt mihi homines etiã ex vulgo aulæ. has literas vides centonibus coagmentatas. Nam vt quicquid cognouerant, ita scribebam. sed tu huiusmodi mauis quibus certior de omnibus fias quàm accuratas illas, in quibus nihil sit præter ciuilitates tum apud me esset heri Hilarius venit ad me Hispanus, de Leodiensi familia. narrauitq́; ipso Hilario audiente, nullum hodie viuere sub cœlo hominem, cuius Leodiẽsis sit amãtior, quã tui. habere semper opera tua in manibus, lectitare sedulò & admirari, propugnare te, si quis calumnietur, nõ secus quàm aras & focos. se crebrò cœnis & prandijs interfuisse, vbi excitata de te mentione, ita te tuumq́; nomẽ et eruditionem aduersus Italos quosdã defendisset, ut facilè appareret, te illi esse q̃charissi.

Hila-

Hilarius tuus diligentiſsimus fuit in requirendis reſponſis ab ijs, ad quos ſcripſeras: ſed genius huius aulæ eſt mirus dilator & procraſtinator. Auguſtinus meus aduentu amicorum aulicorum depoſitus eſt tantiſper è manibus, vbi primùm hinc abierint, conuolabo Louanium, ibi quàm citiſsimè addam extremam manum. deſunt enim quinq; libri tantum. Nam Frobenius habet. xvij. Cõmendo tibi Hilarium hunc condiſcipulum olim Pariſijs meum, quem arbitror alioqui tibi eſſe commendatiſsimum. Vale. Brugis. xx. Maij. 1522.

Viues Eraſmo.

ABſolui tandem Chriſto gratia xxij. lib. de Ciuit. Dei, quorum quinq; poſtremos qui reliqui erãt, per hunc iuuenem Coloniẽſem mitto cum epiſtola nuncupatoria ad Regem Britanniæ cum præfatione, & de veteribus

bus interpretibus postremo de Gothis quæ quatuor initio operis ponentur. sunt enim ceu præmia quædã, In præfatione ipsa paucula quædam attigimus de immensa tuarum laudum materia, utinam tam eleganter & doctè, quàm verè quàm ipse sentio magnificè, ea tu leges priusquàm imprimantur, & censura tua omnia tempe rabis, addes & mutabis, quæ videbuntur, modò ne minora facies, quàm diximus, alioqui nihil futura, tum si quid est erratum non modo in Græcis & orthographia: sed etiam vel in historia, vel fabula, vel philosophia, vel theologia, vel dictione, tibi omnia trado emendanda, approbaturus non secus, quæ in hoc egeris opere, ac si fecissem ipse, & habiturus maximi beneficij loco, videlicet quòd & me docueris, & mea reddideris melio ra. Annotatiunculas nil dubito quin

margi-

marginibus addiderint, secuti meum exemplum ex primis duobus aut tribus libris, vel etiam suum, ut sunt ea in re exercitatiores. Tum indicē colligere non erit difficile, de quo tibi iā alijs scripsi literis per Georgium. Significabis mihi quid me velis de Coloniensi libro facere. quandoquidē iam mihi non est admodum usui futurus, nisi fortè aliàs ut rursus accuratius hoc idem opus edatur, velim iterū ab antiqua exemplaria August. cōferre. voluntatem de hoc tuam curabis mihi perscribendam. De pecunia rem totam tui & Frobenij arbitrij facio. tu ipse scis, ut non sim eius auidus, & tamen viuēdum est iniquissimis temporibus & in regione ubi sumptus magni, & quæstus nulli duntaxat ingenio liberaliore digni. si quid miserit, curet per certū aliquē, & sine dilatione mihi reddendū. plura hic nō lo

quar

quar, ne suspiceris me morẽ mutasse meum, quẽ tu scriptis etiã editis testificatus es. sed fac memineris etiã tui: scis quid mihi mutuaris, cùm hic esse m⁹. Venio ad literas tuas, quas accepi nudius (vt puto) quartus aut quint⁹, datas abs te postridie Trinitatis, missas mihi ab Antuerpia. Nã tuũ istum per quẽ iubes me op⁹ mittere, nõ vidi, nec huc venit. Petrus Aegidius scripsit Corrado illũ diuersis itinerib⁹ ac lentius rediturũ ad vos, quã rẽ nos in præsentia vitandã duximus. nec Carolus qui se perfecturum dixerat, cũ adesset Georgius, satis certus est, cũ discedet. Itaq; hunc Ioannẽ Andernacũ conduxit Corradus, et cũ eo transegit quemadmodũ credo te ex eius literis intellecturũ. Nam mihi nec quærere, nec eiusmodi curare ociũ fuit occupatissimo in postremo opere ac præfationibus recognoscendis adornandisque

dein-

deinde corpore nonnihil affecto. De Stunica nihil multis diebus audiui. ſpero tibi non defutura ſtudia digna ſtudijs, ingenio, eruditione, probitate tua. Libellum Carramæ miſi ad te per Georgium. ſed video iã tibi tranſ miſſum. Particulam tuarum literarũ oſtendam doctori Iodoco per occaſionem: quod feciſſem, etſi non monuiſſes. Iubes me literas neſcio quas Mauritio tradere. Ego verò vt neq́ iuuenem tuum, ita nec literas vidi ullas tuas, præterquam ad me ſcriptas. non dubito quin Petrus Ægidius curarit quod me iubebas. Mauritius abeſt in Britãnia. Habes hic binas à G. Thabeo, qui percupit ex te ſcire, an tibi ſint, quas ad te in Quadrageſima dedit, redditæ. Salutant te Cranaueldius, Laurinus et Feuinus noſtri, tui etiam, Vaulterus conſiliarius Flandriæ et Ruſſaldus noſter, qui negotij

tui

tui non eſt immemor. etiam hodie ad patrem ea de re ſcripſit. Potes huic reuertenti aliquot codices dare ex impreßis, ſi ita videbitur, ad me vt perferat. Saluebunt à nobis iſtic tui & eo nomine noſtri quoq;, ac imprimis Frobenius, cū tota familia. Vale, Louanij .xiiij Iulij.1522. à Moro accepi his diebus binas, quibus ſignificat ſe optimè valere, ſuperis gratia.

Viues Eraſmo.

IN maxima ſollicitudine ſum & ero, donec factus fuero certior, an ſit vobis redditum quod reliquū erat libri. id miſi per iuuenem quendā Colonienſem, Corradi cōſilio. xv. die Iulij, quoniā de profectione aliud ſtatuerat Carolus, quā dixiſſet cùm hic erat Georgius. nihil ſupereſt mittendum per Hilarium, quem nondum vidi. dicunt profectum Antuerpiam, & rediturum breui. per eū cogito hanc epi-

ſtolam mittere, quam ſcribo non omnino cõfirmatus, aut ſanus, ſed paulo liberior dolore quàm his diebus fui. Nam ex quo Auguſtinũ perfeci nunquam valui ex ſententia, proxima verò hebdomade & hac, fracto corpore cuncto, & neruis velut laceſsitudine quadam & debilitate deiectis, in caput decem turres incumbere mihi videntur indicendo pondere ac mole intolerabili. iſti ſunt fructus ſtudiorũ, & merces pulcherrimi laboris. quid labor & benefacta iuuant? Quod de puerpera dicis, tã bellè in me cõgruit, vt quarto die poſtquã Auguſtinũ depoſui de manibus, nouum librum inſtituerim. adeò inquies, auis paſcitur opere. ſed crede mihi totos duos aut três menſes reparandis ingenij viribus volo impendere, vt eæ per quietẽ & ceſſationem reuocentur, ſicut in nouali-bus. Cupio videre Carranzæ quem in mo-

modum responderis? & alia quæ dice
ris istic conscripsisse multa imprimis
& magna. In Carranza planè erã fal
sus. nam imposuerat mihi fucus episto
læ, quam solam ex toto legerã opere.
Literas tuas ad Morum ac Cantua-
riensem misi hodie in Britanniã. bre-
ui accipient. Nam eò nunc redeũt fre
quentes ex mercatu Antuerp. Gratu-
lor tibi fauorem amplißs. ordinis, in-
genium & eruditionẽ tuã ita propen
sum, si modo verũ est quod hîc narra-
uit mihi quidam à Corrado auditũ de
annua pẽsiõe oblata tibi honestißs. mi
ror te inuidere gaudiũ hoc mihi amã-
tißs. tui, vt eiusmodi ad me solũ nõ scri
bas: ceu verò vel ipse minus gauderẽ,
quã alij vel si tacẽdũ esset, nõ poßẽ cõ
tinere. sed vtcunq; sit tuis oĩbus incre
mẽtis, et fœlicitate meritis tuis digna
lætabor, vndecunq; resciã. ex te mal-
lem, quò certior esset in certiore nun-
 cio

cio lætitia. pecunia egeo quidem, approbabitur tamen mihi quicquid tu & Frobenius statuetis. si quid mittitis, iubete quàmprimũ reddi. Si quid vis ad Vergaram scribere, mitte huc ad me. Proximo mense cogito in Britanniam transmittere: si quid mandas, scribe per N. cũ redibit è mercatu Francfordiensi. simul te oro per eũdem mittas mihi literas aliquas ad amicos illic tuos commendatitias, saltem vt sciant me amicum esse tuum, quo me pluris faciant. etsi non est consilium manere ibi supra tres menses, aut ad summũ quatuor: qua de re puto me tibi locutum esse Brugis. me tenet tantum scholarũ tædium, vt quiduis facturus sim citius quàm ad has redire sordes, et inter pueros versari. Ruffaldus salutat te impẽsissimè, qui dicit se breui cum patre cõgressurum, & à præsente impetraturum, ne tibi

solutio

solutio hæc diutius differatur. ὧδε ἠρυνικὰ πάντα. *mirum de rebus omnibus silẽtium. fauor bonorum in te ardentior, quàm vnquam.* πολλοὶ τῶν κραζόντων ἐσιώπησαν. καὶ οἱ κράζοντες θανάτῳ σκοπήσουσι μόρῳ. *spero te viuẽtem adhuc visurum studia hominum in te, qualia meritis tuis debentur, & interfuturum tuæ posteritati. istis te debes temporibus seruare. Nã narrauit nobis te affligere valetudinem tuam immodicis studijs.*

Hic omnes tui te impatiẽter iam desideramus: & precamur Deum, vt incolumem te nobis reddat. Hic apparamus bellũ maioribus animis quàm gerimus, atque vtinã vtrunque fieret minoribus. aliquot Hispanorum militum millia dicuntur in Britanniam applicuisse, vt admisceantur ordinibus Britannis. multum de Pontifice nouo speratur. Hactenus perfrixit. putant ferè vt incalescat hoc Cæsaris

congressu, qui ad littus Cantabricum appulit. xvj. die Iulij. Vereor ne ille non tam se esse Pontificem Romanū meminerit, quàm veteris huius iuris in se, vt pristinæ authoritatis pōdere in sententiam huius trahat. quod si illi qui sit, & non qui fuerit, in mentē veniat, spes est magna pacis. sed hæc relinquamus fatis. De Graphæo & alijs rebus puto ad te scribi per Petrum Aegidium, & alios qui sciunt. Nam ego domi semper abditus nihil audio: aut tam serò vt citius sit istuc perlatum, quàm ad me. His diebus vacationum Claua venit Gandauo huc, tantùm vt Græcum aliquem audiret. Vide studium senis, & non erubescimus iuuenes dormire. Vale etiam atque etiam mi præceptor. Louanij die assumptionis Virginis,

1522.

Vi-

Viues D. Erasmo Rot. Praeceptori suo S.

DE ratione ne fallatur Frobenius, res sic habet. Franciscus dederat antequam liber exiret .xx. aureos florenos. sub finē Ianuarij dedit sex. hanc summam ipse accepi, tū & tres libros. aiebat iussum esse à Frobenio dare mihi xxxij. florenos aureos, sed ex his detraxisse octo, qui debebā tur tibi. Quae ille de me ac meo nomine ad vos scripsit, nihil me mouerūt. nemo magis est, si qua est fides, imperitiae meae conscius me ipso, nec minus dissimulator. idcirco leuiter angor gloriam non contingere, cum non me ruisse sciam. Ita velim mihi propitium Christum, vt credo assequutum me nominis opinionem meritis maiorem, & tam immodicè fauere mihi famam saepenumerò admiror. Itaq; quod ille dixit, nō aegrefero, cū in hac

parte felicius succedat, quàm optare me par est, incorruptius mea æstimātem. Quid, quòd si maxima mihimet ipse de me persuasissem, & me optimos ac doctissimos libros scribere arbitrarer, non ignoro tamen peculiarem genij fauorem esse, à quo vita monumentis literarijs inspiratur: et fortunam esse, quæ rebus precium & æternitatem donet. nosq́ue consilia præstare, non euenta. ideo sapientis esse, postquam quæ in manu sua sita sunt, quàm possit industriè ac diligēter disposuerit, fortuitis æquabilem se præbere: siquidem aliud in vita præstandum non est bono viro, præter culpam. Hæc quidem me consolarentur, si in vera eruditione ac sapientia obscurus essem: nunc autem & clarior sum, quàm plerunque vellem, ne meam à rebus omnibus inopiam tam multi spectarēt, ac scirent:

et imperitiã meã tantã esse video, vt illam profiteri præ pudore cogar, vt quod alij deprehensuri sunt, ipse minore culpa præ me feram. Scripsi tamen primùm ætatis calore impulsus, deinde quia tenet insanabile multos scribendi cacoëthes. sed meũ sanabo, vt spero. nam simul vt primum emisero librum, quem his diebus ad Reginam Angliæ composui, in longas me abdam ferias, et ocium innoxiũ, tum quòd hoc ad pinguem vitam beatãq; cõpendiosius, tũ ne me toties voce prodam mea velut sorex, & lacessã fortunæ atque existimationis aleam: postremò, quod, vt Appius consulebat, satius est cessare, quàm nihil agere. Tum nemini facessam negocium ex istis qui nomina nostra quæstibus suis metiuntur, & censent. Et hæc quidem vt maximè, verùm Franciscus scripserit. Nam an ita sit, tempus

vt spero, declarabit, & potest Frobenius ab Hilario sciscitari. de Augustino scio illum vẽdidisse plurima exemplaria, & ipse noui qui emerint: quî verò de Londino audet tam impudenter mentiri? vbi ipse fassus mihi est se paucis diebus supra triginta Augustini exemplaria distraxisse. certè Lupsetus negabat se in Anglia vidisse Augustinum vllum meum venalem. in eadẽ Anglia supra quadringenta mea somnia affirmauit mihi vẽdidisse se. Forsan nõ vendibile putat nomen, quod confert cum tuo aut Budæi. quid? nusquamne est hic alius, quem sociũ sibi Frobenius adiũgat? O miseram ingeniorum gloriam, si aliter constatura non est, nisi eiusmodi nebulonibus libuerit. Ego verò & gloriæ iam nunc & studijs omnibus renuncio, si hàc necessariò eundum sit. Pudet literariæ conditionis, si

exitu-

exiturus liber non sit, nisi illiteratorum auaritiæ approbetur, vt Kemponum & Brechtorum & Torrentinorum plena sint omnia, Ciceronem vix vnus habeat. Nunquã Deus immortalis tam iniquè cum studijs egerit, vt aliter exercere se nequeant, nisi per N. quæstum: quem ego puto in me esse inclementiorem, quod cùm Antuerpiæ me aliquot dies latitando elusisset, nescio cuiꝰ pecuniæ, quæ de ratione supererat, gratia, dixi ministris illius, defessũ esse iã me perferẽdis ipsius præstigijs et elusionibus, quibus me tã impudẽter ludificaretur. Valeat gloria, si tantã importat seruitutẽ, vt vnicũ verbũ loqui liberè nõ sinat, cũ ij qui gloriã nõ sectãtur, dicãt quicqd libet. Vellẽ scripsisses an sit Frobeniꝰ illa opuscula impressurꝰ: alioqui significa per primas literas: mittemus alio. Neq; verò tam me immodicè ipse

amo,

amo, vt cum damno Frobenij velim ex eius officina prodire quicquã meũ. non est sic illle de me meritus: itaq; ne putet me sibi iratũ fore, si mea nõ edi derit, faciat quod maximè in rem suã esse credet. Sed nimio plura de nugis, & ad te. De titulo: ego verò sexcentos commisero inscribẽdo solœcismos bene adultos, etiam Egmondano ridiculos, modò ne βασιλοῦς vnum in dãdo: non tam miserè Grãmaticos metuo. Romæ non dubito, quin sis omnia reperturus commota, & turbata, præsertim Rhodo capta. De Turca timent omnes, ne impetum cõuertat in Siciliam & Italiam. De Budæi munere non tam lætum est, quàm de valetudine eius triste. ad illum his diebus scripsi. Quũ hæc scripsissem, factus literis amicorũ certior, opuscula mea nõ esse à Frobenio excusa, et N. dicere te authore reiectum à Frobenio librum,

brum, qua de re ſcripturũ te mihi per famulum, quẽ paucis diebus huc mittes. & quanquam non magni tua refert, quid ipſe de hoc facto credam: tamen ſi qua eſt mihi apud te fides, velim existimes me illud non credere, non & ſi quis dixiſſet ſpectatiſſimæ fidei, quanto minus à N. profectum. tantum adieci, vt ſcires N. nondum mutaſſe mores. Si dicam me non aliquantum doluiſſe, mentiar: ſed minus forſan quàm alij eiuſmodi rebus ſoleant. ex tuis literis aliqua erat ſpes. Nam ſcribebas Frobenium libentius mea impreſſurũ, ſi N. acciperet ſocietatẽ, quaſi ſubſignificares impreſſurũ nũc intelligo, nec me, nec mea eſſe tanti, vt in tãta librorũ varietate loc⁹ ſit tã exiguo libro vllus, niſi ad primam preconis vocẽ vendatur. & ſi illũ vendibiliorem feciſſet Frobenij officina, vt ſomnium fecit, et in Germania tã lata,

lata, tãq; diserta studiosis, in qua quid non distrahitur? Opuscula quædam mea curauit istic Beatus edi, quorum ne vnum quidem exemplar hîc vidimus. Equidem falsum me opinione cõperio. Nã qui vt me nõ in Orchestra sedere sciebam, sic ad quatuordecim ascendisse iam vel arbitrabar, vel cupiebam, nunc in plebeijs de postremis me esse sentio. O quàm verè censu distinguuntur ordines, etiam huius ciuitatis. hem huccine reciderunt illa tam magnifica. Clarissimus & vndequaq; doctiss. Sed hæc quoque viderit fors. cum qua qui minimum habent negocij, hi demum fœlicissimi sunt. Ego nulla ratiõe subtrahere me potui Hispanico itineri, quod puto me cras aut perendie ingressurũ. quod velit Christus mihi prosperè succedere. per Britanniam proficiscar, & ibi & in patria amici in te hominis officium præ-

stabo

ſtabo. Chriſtũ precor vt te ſeruet diutiſsimè incolumem, & lætum. vbicunque fuero, illinc te de meis rebus certiorem faciam. Vale mi præceptor, et memineris ſemper amicitiæ noſtræ: meque Chriſto, cui tam gnauiter ſeruis, commenda. Beatum ſaluta mihi, & Frobenium. decimo Maij. 1523. Brugis.

Viues Eraſmo.

EX Britannia diſceſsi menſe Aprili tantum ad ducendam vxorem iuſſus à principibus & Cardinale eò redire ad finem menſis Septembris. Quod faciã, ni neceſsitas aliqua & vis maior impediat, aut cauſa maximè ſontica. ita enim ſunt homines illi de me meriti, vt iniquũ ſit me non obſecundare eorum voluntati, quum illi multis in rebus indulgeant meæ. Ferijs Euchariſtiæ ſubieci ceruicem iugo muliebri, nondum mihi

quidem

quidem graui, & quod cupiam adhuc excutere. ſed euentum Deus viderit. Hactenus nec mihi factum diſplicet, & ijs omnibus qui nos norunt, mirificè placet. Vt aiunt, nihil hic eſſe multis annis actum tanta omnium approbatione. De illis hominibus in quos οἱ φίλοι σὲ ἐγκελεύουσι, *malum deploratū: ſed propemodum* ἐν τούτοις χρόνοις ἀναγκαῖον, *quibus peſſum iere omnia.* ἀλλὰ ταῦτα οὐρανόθεν *tu niſi agas quid minimè cōuenit, nihil egeris: ſin egeris, corrūpes, q̃d eſt in illo malum optimum. ò magnæ difficultates, in quas te nomen implicat tuum, vt non videaris poſſe cum decore ceſſare, quin publicis rebus publica perſona interponaris, nullo tanto temperamento, quin alterutros offendas, & forſitan vtroſque. fac meminéris verſum Ennij de Maximo. Salutaris à Claymondo. & ferè illa academia nihil audiui multis diebus gratius,*

tius, quàm opera tua noſtris quoque Hiſpanis eſſe cordi. ſpero fore, vt illis & ſimilibus aſſuefacti, manſueſcant. exuantq́; Barbaricas aliquot de vita opiniones, quibus acuta quidem ingenia, ſed ignoratione humanitatis ſunt imbuta, quas alij alijs velut per manus tradunt. Nunciatum erat nobis in Britannia, te in Burgundiam migraſſe, vt vino illo puro ac generoſo curareris à calculo. alij te in Britãniam venturum affirmabant: & audiui à quodam, fuiſſe te indubiè venturum, ſi eſſes accerſitus. quod vtinã illic reſciſſem, ea te res non diutinè fuiſſet remorata. veniſſes gratus optatusq́ue Regi, Cardinali, & toti nobilitati. ſed ſi id ſtatuis, incipe ſimul aliquid καὶ ἐκεῖνον μελετᾶν, aliter nonnullis corrugabis frontes, quorũ imprimis conuenit tibi eſſe exporrectas. ſed nõ dubito quin hiſce de rebus, vt prudẽtius

poteſt, ita copioſius ſcripſerit ad te Morus. me verò mi præceptor, ſcis paratiſsimum eſſe, ſi qua in re poſſum tibi eſſe vſui, quanquam vires exiguæ, ſed voluntas ingens. Frobenium mihi ſalutabis, & Rhenanum. Vale etiam atque etiam, mi domine. Brugis. xvj. Iunij. 1524.

Viues Eraſmo.

PAlæſtritam te fecerunt iſti, volueris, nolueris. ſed ſic ἀνταγωνιστὴν vincis, vt ſpectatores cognoſcant te ei parcere, quem potueris proſternere: & ſic conueniebat, ne in ſe traherent victoriam illi, quorum plauſus eſſet orbis gemitus. Regi eſt heri tuus liber redditus de libero arbitrio. ex quo inter ſacra legit pagellas aliquot, & oſtendit ſibi perplacere. ait ſe perlecturum. indicauit mihi locum, quo dicit ſe impenſe delectaturum, quum

de

deterres homines ab immodica perscrutatione adytorum diuinæ illius maiestatis. Regina etiam mirificè de hoc ipso te opusculo, etiam loco diligit: iußitque hîc tibi salutem suis verbis adscribi: simul agi gratias, quòd vir tantus & de tanto argumento loquuturus, ita te demiseris, & rem tractaris tanta modestia. Quid Rex cupiat te in Psalmos annotare, cognosces ex Montioio, cui Rex peculiariter scribendum mandauit. simul significauit mihi, se expetere colloquium tecum: de quo non dubito quin egerit cum Moro, vt est apud eum multus & gratiosißimus. ex eius literis id intelliges. quàm fœliciter agerent literæ, si hæc procella non incidißet. ò illum tuum nouum colluctatorem imprudenter præferuidum? dum vel ingenio, vel argutijs, vel nominis dulcedini indulget. dictu fa-

cilè quantum obfuerit optimæ causæ, pro qua primum prodierat, vt non sibi solum fidem abrogarit, sed paratã obiecerit inuidiam ijs omnibus qui aliquid ausi sint mutire de dictis illis melioribus. Gaudeo te recognouisse epistolas Hieronymi. nam in illis erant quædam μνημονικὰ ἁμαρτήματα, *quale in tua epistola ad me, Publium mimographum, pro D. Laberio itidem mimographo. sed hæc quis etsi agnoscat, non ignoscat? in ista eruditione & tot elegãtissimis doctissimisque ingenij monumẽtis. verùm ego tua omnia sic vellem exacta, vt nullam reperiret ansam vel ipse Momus. equidem cùm te admoneo, sic ipse admoneri videor, vel reprehendi potius, vt illi qui Catonem reprehenderũt. Linacer reliquit homines magno doctorum omnium mœrore, quibus omnibus bene cupiebat, & fauebat ex animo plusquàm*

quàm apud eum valebat opinio ingenij & eruditionis, quàm suspicio simultatum συνίεις ὅπῃ πάντα. editur liber eius de Emendata constructione, in quo meminit tui honorificè, ut sentias eum non amasse modo, sed etiam reueritum te. Franciscus Byrchmanus rogarat me, vt libellos meos recognoscerem, quos cuperet apud Frobenium imprimi. nunc scriptum est mihi, eum nescio quid caussificari, Frobenio nō vacare. miseret me tui, cui toties fuerit cum eiusmodi homine negocium. καθ' οὗ οἶμαι ἔγραφας mēdaciū in Colloquijs. quærendus mihi erit alius, ne toties cogar huic homini succēsere ab eo falsus. Si Frobenius vult recipere mea imprimenda, libens ad eum mittam, modò ne admisceat se Franciscus negocio: sin secus, inuenies alium. etiam miror tam raros nunc prodire veterū libros excusos in Germania. ista vel

pro Luthero, vel in Lutherum excusserunt de pectoribus studiosorum omnem aliarum literarum curam. tanta est spectandæ pugnæ istius dulcedo. Vale mi domine. Londini. xiij. Nouembris, 1524.

Viues Erasmo.

EPistola hæc tanto erit breuior, quòd nesciebamus, an te in iter iam dedisses, vt rumor vulgarat: primùm te iam esse Coloniæ ante Calendas Septembris. Is resedit. excitatus est alter, ex literis tuis, vt ferunt, ortus, te hîc adfuturum ad Calendas Octobris. quicquid statueris, precor tibi fœliciter euenire. ad postremas tuas literas respondi, dedíque epistolam Petro Aegidio. nil dubito quin sit reddita, duntaxat mercatu hoc Francfordiēsi. opuscula Frobenius si non statuit imprimere, velim remittat. Augustinum audio excudi. Velim

certius id à te cognoſcere. Idq́ ſi ita ſit mittã ad Frobeniũ pauculas aliquot recognitiones meas in Cõmentaria Ciuitatis breues admodũ, vt nec ternionem impleãt. Britãnos ſcito fecisse pacem cum Gallis. puto eſſe tẽpus hoc, ſi quod aliud cõmodiſsimũ tibi veterib⁹ amicis reuiſendis. ego illuc non cogito ante proximum annum. Qui has ad te perferet, eſt Genuenſis quidam negociator, tui multo obſeruantiſsimus, et cupidiſsimus videndi tui. vtinã, quod commodo tuo fiat, breui te videamus hic valentem ac lætum. Vale. xx. Sep. Brugis. 1525.

Viues Eraſmo.

DE Franciſco nimis multa: non eſt ille tanti. à Frobenio iniquum eſſet poſtulare, quod foret ei damnoſum. meã opera non diſtrahi, mirandum non eſt. quippe non ſolum carent genio, ſed etiam ingenio, & peritia & nomine, denique ijs rebus

omnibus quibus commendari libri ſolent, quæremus alium cui minus doleamus nos impoſuiſſe, quàm Frobenio excudendis monumentis tuis præclarè de literis merito, mihi verò præclaram ipſe videor famam consequutus, ſi quod in epiſtola tua ſcribis ex animi ſententia dicis, & nõ das meis auribus. nec aliã gloriã quæro, quàm tibi & tui ſimilibus, ſi qui modo ſunt placere. quæ enim poteſt eſſe maior? aut quid magnificentius? vnus Plato inſtar eſt mihi totius populi Atheniensis (inquit poëta ille & muſicus) mihi cane & muſis. cuius iudicio verius poſſint ætate hac accommodari illa, quàm tuo? Quocirca ſuperuacanea eſt illa admonitio in extrema tua epiſtola. nos bene fortunãtibus muſis ac gratijs, amicitiam perẽniter tueamur. non ſum tam negligens, vt patiar elabi amicitiam vſque adeo deco

ram

*ram mihi atque honorificam. conser-
tis eam manibus, sicut dicitur, retine
bo Nam de te nihil addubito. Ante
quartum diem Christo adiuuante da-
bo me in iter Britannicum: illinc scri
bam ad te longius. nũc enim nihil est
scriptione dignum. de pace puto istuc
esse iam perlatum, hoc est, de quiete
& vocatione ad flagitia, si qua erant
per belli angustias exclusa aut inter-
missa: vtinam contingat pax à Chri-
sto animis nostris & ecclesiæ suæ, il-
la quam mundus dare non potest. Dis
secta omnia tanquã factionibus, sed
catastrophe approbanda Christo, &
ab illo vno expectandus plausus. e-
tiam* γράφειν ταῦτα οὐκ ἀκίνδυνον*, & quod
quis miretur magis, vtrunque. Salu-
tat te multò officiosissimè Feuinus
noster. Vale plurimùm præceptor o-
ptime. xiiij. die Februarij, 1526.
Brugis.*

L V Vi.

Viues Erasmo.

EGo ad te literas dedi ex Britannia bene longas multis de rebus more meo. dolerem, si non crederem esse ad te perlatas. tuas iampridem nullas accepimus. occupationibus id tuis adscribo. Nam tibi iter tuum rectà eunti de semitis κύνες ὑλακτοῦσι. Itaq. cogeris paulisper deflectere, vt molestiam dimoueas, quæ iter remoratur. Possem referre tibi præclara aliquot hominis illius facinora: Verũ malim non agi inter vos de vita, sed de sententia. reliqua κατὰ τοῦ Λουθήρου ἐκδέχεται. Olim ad te destinaueram scribere, sed nescio, quemadmodum excidit, vt libros omnes tuos cures, dum viuis, redactos in certos aliquot tomos excudi. non dubito, quin aliquid tibi tale in mentem multo antea venerit. & hoc animo moliaris. sed eò facies celerius, quum intelliges alios quoque im-

impense cupere. multæ sunt tuorum operum editiones atque impreßiones, si è vita discedas, vt tibi est, ac nobis omnibus discedendum, prius quam omnia collegeris, & quæ sit postrema iudicij tui mens declaraueris, qua & te profitearis stare, & alios velis idem facere, quicunque sunt tecum sensuri, magnopere timeo ne magna sequatur operum tuorum confusio ac perturbatio, vnde periculum sit, ne pereat tibi tua gloria. sed hoc fortaßis ad te leue: sed certè fructus quoque studiorum tuorum, quum hærebit lector incertus, quid demum ipse vel probaris, vel improbaris. nam nunc qui editiones distinguunt, vtcunque sensum animi tui deprehendunt. posteri verò quibus editiones separare non licebit, confundentibus omnia Typographis, maxima monumentorum tuorum

rum

rum vtilitate frustrabūtur. adde ijs, quæ vt alia aliò deferuntur, complura sunt abs te edita. quorū titulos ne audiuerunt quidem homines tui nominis perstudiosi, & qui plurimū se per opera tua profecisse sentiunt, ac præ se ferunt, inter quos sunt nōnulli, qui ex me quærunt quo fine existimē introductā abs te disputationē illam ἰχθυοφαγίας, de voto, et vi præceptorum in opere tituli puerilis, & quod videtur pueris scriptum rem tantam neutiquam intellecturis: respondeo quædam, quîs vt illis satisfaciam, nescio: mihi vtique non satisfacio. nam alienissima videtur mihi & loco & personis illis dissertio. ἵνα δοκεῖν μὴ τὸ πρέπον τηρηθῆναι. Itaque non videtur fuisse faciēdum·præsertim cum offensione multorum. συνίεις τινῶν. sed nihil dubito, quin tibi facti tui pulcherrimè constet ratio, quam non grauaberis primis literis

ris, quas ad me dabis, vno aut altero verbo subijcere ad eximendum & meum & meorum amicorum scrupulum. Curtius venit heri Louanio. narrat Vincentium tuũ & Gotscalcum agere animam. Ecmondano multa et dira esse: anginam comminatam, & comminari atrociora indies. itaq; vereor ne non tollat. Tum et Latomum Cameraci viuere, quanta ruina Academiæ, prostratis tot & talibus columnis? Rhenano & Frobenio tuo multam ex me salutem simul & Cantiunculæ, si isthic adsit. Saluebis à Laurino. Cura valetudinem tuam, mi præceptor, & nos ama. 6. Augusti. Brugis. 1526.

Viues Erasmo.

EXpectanti mihi abs te quotidie literarum aliquid, seculum penè præterijt: & multæ ad te scribendi occasiones è manibus elapsæ, dum ali-

quid

quid ſemper puto recepturum me, cui reſpondeam. nam bis aut ter ſcripſeram, & de tuo ſilentio ſuſpicari cogor, vel non eſſe tibi literas redditas, vel occupatiſsimum te fuiſſe. ſiue hoc ipſum in cauſa fuit, cur non ſcripſeris, ſiue quid aliud. ego verò æqui ac boni facio, modò & rectè valueris, & noſtri non omnino obliuiſcare. idq́ue ſatis mihi eſt recordatione tua cõſignatum eſſe tuo in pectore. vt id verò literis quoque ac velut ſyngrapha teſtificere, nihil laboro. Quid iſthuc de rebus tuis adferatur Lutetia, neſcio. Nam Decanus ait ſe habere tuas literas, quibus conquereris περὶ τῶν ἐκεῖ πραγμάτων *atqui nobis quotquot illinc veniunt ſcholaſtici, mirificum fauorem nunciant omniũ erga te, & eorum qui infenſiſsimè erant odiſſe ſoliti. in Hiſpania enchiridion tuum cœpit loqui noſtrati lingua, & quidẽ ſecun-*

ſecundo populo, qui ſolebat eſſe in poteſtate τῶν ἀδελφῶν. *Idem cogitant facere de paraphraſibus. Vehementer mirantur quidam vel huc non redire te, vel certè in Galliam proficiſci.* ἵνα ἤδιο-ςιῶν δια τελῆς οἶσθα, τινὸς ἕνεκα ταῦτά μοι λέγονται. *Vellem cõſuleres quieti tuæ ſenectutis Nam iſtius temporis, quod ætati tuæ reſtat, magnus erit pietati ac literis vſus, te libenti ac læto: exiguus, commoto & conturbato. Amabo mi præceptor, ſi quid vidiſti eorum operum quæ te abſente edidi, perſcribe ad me ſententiam tuam, imò verò magiſtri & patris reprehenſoriã admonitionem. nã nihil eſt quo me magis ſentiam proficere, duntaxat cùm reprehenſio venit à prudenti amico: nec imprudentis quidem aut inimici nocet. Vtinam propius adeſſes, & conſulere liceret te* ὥσανεὶ χρησμῶν. *in Britanniam propediem proficiſcar,*

Chri-

Christo secundo si quid mandas, significa, & curabitur. & si nihil peculiarius scripseris, illa καθολικὰ quæ tu mandata cupis, non ignoro. dicta puta. Cura valetudinem tuã, & nos ama. Salvebis officiocißimis ac reuerẽdiß. à Laurino & Feuyno tuis. Vale Brugis. xviij. Martij. 1517.

Viues Erasmo.

ALiquando tandem literarũ aliquid abs te: quæ vt expectatißimæ ac desideratißimæ, sic etiam gratißimæ fuerunt. & hoc gratiores multo, quàm admonitio illa, imò verius scribendi institutio, geminã mihi ob oculos personam posuerit, præceptoris eruditione, patris affectu. De Colloquijs rectè habet, mihi planè iã pridem satisfactum abunde est, vel ipso facto tuo, quòd mihi et alijs plurimis maioris erit momenti ac roboris, quã multæ aliorum et accuratæ rationes.

Illudq́; à primo valere apud me debere existimaui, quod Pompeio scribit M. Tullius: Nec si ego quid tu sis secutus, non perspicio, idcirco minus existimo te nihil nisi summa ratione fecisse. ἀλλὰ τί μοι καὶ λατόμῳ, aut quorsum de illo? Liberum arbitrium non perdidimus, quod tu asserueris. non facilè credas, quãtopere sentio adiuuari me admonitionibus tuis, quantamq́; de eis ipsis tibi gratiam habeam. & etiam atque etiam te rogo vt ita pergas facere, cùm quid aliud meum videris. nihil ego beatius esse censeo, siue in hoc scriptionũ genere, siue in reliqua vniuersa vita, quàm admonitorem aliquem habere amicum & prudentem. vtinam esses frequentior. Sed vt consilij mei rationes et causas cognoscas, scito fessũ me ab Augustino venisse ad opus illud conscribendum, cùm omnino statuissem aliquid Reginæ mit-

tere: itaque non vacauit stylum expolire, si modò expolire potuissem, quantumlibet essem conatus. Tum rationem habui quibus scribebam, nempe fœminis, et potissimùm cui dicabam: ita enim demisi me, vt illa me intelligeret, cui opus concinnabam. & cui me studebam approbari. Sed verè illud dicit Horatius ac scitè, Tres mihi conuiuæ. ita nulla est phrasis nec bona adeo, quæ nō alicui displiceat: nec mala, quæ non placeat. permulti ita censuerunt, probare se vehementer in eo opere simplicitatem dictionis, & inaffectationem: nam sic loquebantur. verum ego, neque enim aliter fas est, malim me Erasmo approbari vt athletam Herculis, quàm vniuerso consessui spectantium. Itaque parebo posthac consilio tuo. mitto ad te libellum quendam meum, in quo insunt nonnulla magis aliquanto à cura scripta:

pta: & de hoc sentētiam ad me tuam perscribes, cùm vacabit, cùm licebit. oportet me semel verecundiæ terminos transgressum, bene ac gnauiter esse impudentē. fœminas ais à me durius tractatas. hoc tu dicis, homo qui nobis Hieronymum restitueris? quid muliere effrenius? Si paulùm modò habenas remittas, ibi verò nullus erit modus aut moderatio. Sed patrocinabitur eadem oratione Cato & mihi, & legi Oppiæ. Neque verò illa sunt mihi sunt vel exempli causa, vel rei augendæ dicta. Sed quòd eum ad modum existimem illis viuēdum: & indubiè facient, si duarum rerum meminerint. Christianas esse se, ac eundem hominem vnamquanque ipsarum, & suum maritum esse. de scabie quanto Hieronymus plura, & apertiora? si modo qua de scabie loquaris, intelligo: nam non satis assequor.

vti nec illud περὶ ἀμφιβίου ζώου. meorum libenter facio mentionem. quotusquisque non facit? An non Seneca? non Quintilianus? non Cæcilius? Tacitus etiam soceri vitæ iustum volumen dicauit. Ter omnino, ut arbitror, meorum memini, bis matris, semel socrus. Sed nec socrum dico esse, neque tum adhuc erat. in hac veritate sum adductus. & mea sententia digna historia, non minus quàm permultæ, quæ ab alijs memoriæ sunt traditæ. in matre excusat pietas: & id feci modicè, veritus inuidiam. & non ignarus hominum ferè ingenia libentius maledicentiam audire, quàm laudes. communionem illam cum Cicerone risi suauiter. protinus venit mihi in mentem illa quoque apud Martialem, Quod scribo carmen Musis & Apolline nullo. Itaque habeo duas hactenus ad tuam epistolam. iam de actis Hispaniæ in rebus tuis. missi

misi ad te nuper, quæ mihi erãt illinc ab Alphonso Viruesio scripta: credo esse tibi reddita. nam data fuerũt Erasmo Esqueto, qui solet ad te alia, sicuti audio, permulta transmittere: quæ si non accepisti, longa esset retexẽda fabula. Summa tamẽ hæc erat, delatum esse nomen tuum à mẽdicantibus ad summum Quæstorem, Archiepiscopum Hispalensem itum esse in consilium & disquisitionem in Quadragesima. ibi nihil esse aliud actum, quàm audita contra te fratrum crimina: pro te verò orationes duorũ Benedictinorum, & fratris Dionysij Augustiniani, & mediam quandam Castelli cuiusdam Minoritæ. Itaque ampliatũ esse te in diem postridie Ascensionis Domini. huic consilio erant designati ex vniuersa Hispania selecti doctissimi quisque, & minimum corruptus affectu inter eos, Viruesius

 ho-

homo γνησίος ἐρασμικὸς. *puto Coronellum, Lermam, Dionyſium non defuturos ſtudioſiſsimos tui, hoc eſt veræ pietatis, atq; eruditionis. Aderunt etiam Epiſcopi, quos eò mittet Cæſar. Hæc tibi fuſiſsimè expoſui. Poſtea accepi literas à Vergara, Scepero, & Virueſio. quæ in illorum literis ad te pertinent, ea curaui tibi in hac epiſtola deſcribi. Sceperus hæc: Hic magno animo monachi bellum aduerſus Eraſmum ſuſcepere. Id moliuntur, in id uigilãt, vt oĩm Eraſmi librorum lectio Hiſpanis interdicatur. Obſtamꝰ interea ſtudioſi aliquot, qui Cãcellariũ precibꝰ fatigamus vt doctiſs. & optimi viri patrociniũ ſuſcipiat. & facit id ſanè, ſed aliorũ id munus eſt. Præeſt inquiſitioni (ita vocant) Reuerẽdiſs. D. Hiſpalenſ. vir ſanè bonus, & qui horum impetum aliquandiu compreſsit, ſed ſatisfacere omnibus nequit, et*

mira

mira est illorum rabies. Iam aliquot diebus publicè quoq; legi in cœnobijs desitum est, vt in Erasmum singuli quid excuderent. prolati sunt aliquot articuli, quos illi hæreticos et schismaticos vocant. Tuetur Ludouicus Coronel. adest Canariens. Episcopus, & alij aliquot. Nos interea dolemus, opem quòd ferre afflictis rebus minimè queamus. Nam confestim magnũ audentibus periculũ immineret. Sed quid ego hoc apud te hominem Hispanum, qui hanc tyrannidem satis cognitam habes? Nolo ergo ad te longior esse. Nam abunde tibi omnia narrabit D. Ludouicus Pratẽsis. Vergara verò est recentior, nẽpe ex ante diem pridie Idus April. cũ Sceperi literæ datæ sint mense Februario Is ergo ad hunc modum: In Erasmũ cõspirarunt nuper monachi nostri: non omnes quidem, sed plerique. Quo enim quisque

istorum ordo longius abest à mendicitate, hoc minus illi est iniquus. Res ad magistratus relata est, atq; hactenus quidem summo cum Erasmi fauore procedit. princeps meus hominem sibi penitus tuendum suscepit. Fauet illi etiam Cæsar apertissimè. Fauent magistratus ipsi, fauent denique boni omnes. Aduersarij quoniam vident nihil sibi hac cōtentione, nisi commune odium quæri, paulatim iam frigere incipiunt, libenterque quantum existimo quòd cum bona omniū pace fieri liceret, factum mutarēt. Viruesius inclusit fasciculo meo hasce omnes literas, quas ad te transmittam, vt intelligas non eum esse, qui tibi in suspicionem venire debeat, tanquam non satis bona fide tibi faueat, aut causam tuam præuaricabundus susceperit, de quo narrant mihi omnes, qui ex Hispania veniunt atrocissimas simul-

multates susceptas illi esse cum fratribus tua causa: nec vllũ simplicius aut syncerius: doctrinam tuam vel amplecti, vel tueri. & est alioqui concionator, vti aiũt, primi nominis, mira grauitate morũ. & vita inculpatissima, homo dignissimus. quem propius cognoscere & amare velis, & referre, sicut amicus noster solet dicere, in calendarium amicorum tuorũ, illorum inquam selectissimorum, ac præcipuæ notæ: & quidem loco honestissimo. adducitur ad venerationem tui et ad te defendendum ornandumque, quantum pro virili potest, non alia vtilitate aut ratione, quàm quòd doctrinam tuam censet deriuatam ex vero ac puro fonte Christianæ pietatis. noli, quæso te, spernere tales patronos optimæ illius causæ, quam suscepisti. Recentissimæ sunt Aluari literæ negociatoris illius, qui tibi pẽsiones tuas ex An

glia solebat mittere. is nūc duxit vxorem Burgis Hispaniæ. scribit pronūciatum iri ante quindecim dies, vt est hominum opinio ac spes pro te καὶ κατὰ τῶν ἀδελφῶν & eos qui doctrinæ tuæ fauēt postulasse à quæsitore, vt in Thomæ ac Scoti opera inquiratur: velle se horum placita ad examen reuocare, sitne aliquid contrarium vel mysticis literis, vel veteribus nostræ religionis scriptoribus. postulant de eo sibi ius dici, & vt hæresin damnari. quæ hac de re accipiam ab alijs certius, atque explicatius, faciam te certiorē. Simul misit mihi Aluarus Hispanam epistolam Viruesij ad Minoritam quendā magnæ in Hispania autoritatis ac nominis. ea epistola circunfertur per Hispaniam, & legitur cum maxima omnium approbatione. est elegantissimè scripta nostra lingua. eam ego in latinam conuerti, tan-

tum

tum intelligi Vt abs te poſsit. Vale plurimum mi præceptor & pater. Brugis feſto Margaretæ. 1527.

Viues Eraſmo.

IN Seneca quæ habeo, alia ex Vetu ſtis ſunt mihi codicibus annotata, alia iudicio meo ex eo ſenſu, quem mi hi Videbar partim ex Verbis, partim ex propoſiti argumenti ratione colli- gere. Sed qualiacunque ſint, malo au- thorem illum legi & cognoſci multo digniſsimum ex tua castigatione in ſtudiorum manus Venire, quàm ex mea. Neque enim dubito, quin exitu- rus ſit dignus tuo nomine, modò ipſe Velis operi & præeſſe, & adeſſe: nec Vlli alij fidas rem, in qua nõnulla exi- ſtimationis tuæ pars Vertitur, & ma gnus legẽtium fructus. Nã quomodo nunc est, nec Sibyllæ quidem ipſæ in- terpretentur, aut ὀνειροπόλοι *quiſpiam.*

Aldriſij

Aldrisij nomen antequam epistolam hanc tuam legerem, omnino nō audieram. apud Morum nullum vidi Senecam, qui vel stigma vnū haberet correctum. Ciceronianum tuum degustaui verius, quàm legi. Et ipse ex Italia literas accepi ab homine nō amico modò, verùm & nōnihil propinquo, qui me hortatur, vt duos totos annos nihil nisi Ciceronem legam, & eū æmuler in sententijs, in verbis, in figuris: ita futurum, vt lōge post me & alios permultos & Longolium relinquam. In quo risi puerilitatem istam imitationis, quæ multorum ingenia velut furor quidā inuasit. Me nominatum abs te esse longè fuisset gratissimum. Sed senilis huius ἁμαρτήματος facilè tibi gratiam facio, etiam si me consulto prætermisisses, quādoquidē cōpertum habeo nihil abs te inimico animo esse factum. Nec mirandū est, te oblitum fuisse

fuisse mei, quum occupatus esses tot colligendis ex omni ordine & classe, vt illud mihi in mētem veniret, dum illa percurrerem, quod Ciceroni orato res recensenti dixit Atticus: Quanquam non me tibi excidisse arbitrabar. Sed aliò referebam consilij tui rationem. Budæum aut quenquam prorsus offensum esse illo tuo dicto, qui quidem dialogorum artem non ignoret, vehementer miror. tametsi hæc discordia inter vos non est, vt puto, noua, sed vetus, & post priorem illā reconciliationem verbis & epistolis vltro ac citro inter vos exasperata, con pressa tamen tantisper, nunc se per occasionem profert alieno amiculo contecta. Ita Alecto hæc vel Ate res hominum infestat, vt nihil publicum, nihil priuatum, quietum relinquat. Inter Principes bella, inter literas dissidia, in humanitate ipsa rabies.

In

In religiõis vnitate diuersitas, in charitate pietatis odium ac sæuitia. Vtinam dignetur aliquando Christus mitiore suo aspectu tantis malis finem imponere, & turbatis hominum rebus quietem serenitatemque adferre. Et tamen, si quos oportebat cõcordes esse, ij sumus nos qui earum artium ac disciplinarum studio tenemur, quæ plurimis sunt inuisæ ac oppugnatæ magna authoritate fretis & magna potentia. Hieronymũ salutabis meis verbis. Si non libenter scribit, nihil est quod se defatiget respondẽdo meis literis. Doleo mea opera officinæ isti fuisse vel damnosa, vel parum quæstuosa. Posthac dabitur à me opera, vt ne amplius sim ei molestus: & si qua possim, nõ desim eius vtilitatib⁹. id quod libens recipio me pro virili parte mea facturum. Quod verò illi scripseram, in causa fuit Franciscanus

nus quidã, q nuper Basileæ fuit tui videndi gratia. Is narrauit Hieronymũ Frobenium cupere mea ab se excudi. Sed nihil eum mirabor & mentiri, cum tam multi qui istinc veniunt, mẽtiantur. Nam quòd quæris quis sit ille mẽdax? Est qui aliud hic nobis ait, aliud, vt ipse scribis, istic vobis. Sed amabo mi præceptor, posthac nihil ego te istis de rebus, nec tu, si videtur, ad me. Nam nõ videris mihi, quoties in harum rerum mentionem incidis, sine aliquo loqui stomacho. Nec tu me tantopere proferendi nominis cupidum existimes. malim vni aut alteri in virtute prodesse, quàm nomen absque aliorum vtilitate per orbem quantus quantus est, diffundere. Neque enim ignoro, quàm iniqua res est hæc gloria, quæ merita non spectet, quàm inanis, quàm nihil habet solidi, quod prehendas, vt nõ diutius

ea

ea delecteris, quam dum plausu et vocibus circumsonantibus extra te pulsus aliena audis, & vides, non es. nam ad te reuersus nihil inuenis. Deinde quantum habet huic mellis guttæ admistum fellis. Si non aliunde, certè ex te possem exemplũ & documentum sumere. Postremò cogitãdum est nos peregrinari, seu potius ad obeundum vadimonium pergere, breui ad forum & iudicem peruenturos, quantoscunque in via flexus conemur facere. Ibi nec humana ignominia premet causã dicentem, nec subleuabit gloria tanquam testimonium vel laudatio prouinciæ. Sed quem dominus cõmendarit, is demum erit probatus. Neminẽ video tam perustum gloria, quem non hæ cogitationes refrigerent. Itaq; rogo te mi præceptor, ne posthac de nomine aut gloria ad me scripseris. Nã iuratus tibi cõfirmo me minus multo

hisce

hiſce nominibus moueri, quàm poßis credere. Publicis commodis multum tribuo: hæc libentißimè adiuuem, ſi qua poßim: & fœlices eos eſſe cenſeo, qui his profuerunt. Veriorem tibi gloriam laudemq́ue cenſeo contingere, quum aliquem legendis ingenij tui monimentis meliorem factum video, quàm cùm illa omnia audis, Facundiß. Doctiß. Maximum. Iuppiter et Iuno vtinam aliquando litent non priſcæ illi Veneri, ſed Chriſto verticordio. Saluebit à me Rhenanus, et Cantiuncula, ſi eſt Baſileæ. Vale etiam atque etiam, Brugis. Calend. Octobris, 1528.

Viues Eraſmo.

ANtuerpiæ quum eſſem menſe Iunio, ad te de recognitione Auguſtini mei ſcripſi, dediq́ue eam epiſtolam ad te mittendam. Poſteà accepi tuas literas bene veteres, datas ad me Friburgo, quò dicebas te Baſileam mi-

grasse quod tibi optimè uertat. utinã huc accederes propius, si modò id tibi non dissuadent rationes rerũ tuarum. Augustinũ prope recognoui. ante mẽsem Octobrem tradam absolutũ Frãcisco, qui confirmauit mihi satis mature tempori daturũ, uel si ad Calend. Nouembreis, si maturius aut literas tuas accepissem aut N. de eo me admonuisset, iam pridem librum haberet Frobenius. Archiepiscopus Toletanus grauissimè ægrotauit, ut prope haberetur in tota Hispania pro mortuo, et ita erat huc ad quosdam scriptũ: sed reualuit, & in administratione rerum Hispaniæ adiunctus est Augustæ à Cæsare discedente. quëis duobus additi sunt dux Albæ, & magister equitum nuper mortui filius: ita vt hi tres sint velut admonitores & consultores. illa imperatrix, & rectrix omnium. Quòd memineris mei in præfatione Augustini,

ſtini, gratiſſimum eſt, quia abs te profectum & facis pro amore noſtro mutuo, alioqui non multum moror nec mentiones mei, nec famam nominis, quo nihil eſt vel inanius, vel amariore conditum felle. etiamſi orbis totus tanquam in theatro me admiretur, mihi applaudat, non ſentio me pilo meliorem factum, aut fœliciorem, miſeriorem ſæpe, ac peiorem, cùm tumultus ille abducit meipſum à me: nec poſſum in meipſum oculos meos & cogitationem reflectere intentam in plaudentes. Itaque aliquando famam procul aſpectam admirabor, ſequebar nũc propius admotam, & propè contrectatam. intelligo rem eſſe veriſſimam, vaniores qui captant, ſi qua hominum moribus prodeſſe queam, id demum ſolidum eſſe arbitror, & permanſurum, hæc dixi, ne tu mihi toties famæ ſpeciem tanquam illectamentum

quoddã obijcias, cui scito me nihil omnino tribuere, nec ea magis moueri quàm aurula tenuißima, magis mouebis me publicis vtilitatibus ostendendis. de quibus fœliciorem te iudico quàm de nomine & fama longe & latè peruagata, quæ tibi merito quidem contigit. sed si illa duo seiungãtur, me reri, & cõsequi, vtiq; prius longe prætulero. Archiepiscopi munus exiguũ est præ illius in te & amore & veneratione ingenti: sed mittet aliquando plura quanquam sat scio te donorum fontes, nempe egregias erga te voluntates pluris facere quã ipsa dona. Credo audiuisse te Cæsarem soluisse Barcinnæ cum classe instructißima, in qua sint triremes quadraginta, naues onerariæ septuaginta, celoces decem: his vehi præter comitatum aulicum & florem nobilis iuuentutis Hispaniæ socios nauales ad decem millia to-

tius

tius Hispaniæ lectissimos. Massilia scribunt visam eam classem legentem oram Gallici maris quinto die mensis Augusti. sunt qui addant ad septimū diem eiusdē mensis tenuisse Genuam atq; ibi descendisse. sed hoc incertum. D. Iesus seruet eum, atque eam largiatur illi & facultatem & voluntatem, vt res Christiani orbis in meliorem statum reponat. Vale etiam atq; etiam. Brugis. xxx. Augusti. 1529.

Viues Erasmo.

COnuenit me hîc Gandaui Grynæus tuus, qui visus est mihi & tua & optimi cuiusque amicitia multo dignissimus, illa probitate oris, & pudore virgineo, illo animo bonarum artium studiosissimo, magnisq; progressibus in literis. Ei me quum pro more meo, tum iussu tuo, familiariter præbui horam vnam, & alteram, id est, quandiu voluit. Amicis in Britā-

nia meis commendare illum non potui quod illinc reuertens modo me adijt. hæc exaraui tibi inter medios ludos celeberrimos, qui in comitatu Cæsaris fiunt, ideoq́ epiſtola hæc erit breuior quàm vellem. Ego ad te rarius ſolito do literas, quod non dubitem te & negocijs occupatum & ætate ac grauitate valetudinis defeſſum minus libenter ad exercitium hoc ſcribendi epiſtolas venire. Sed nec amicitia noſtra fulcimentis illis indiget quibus vulgares permultæ. Rogo te etiam atque etiam, vt poſthac quoties mihi ſcribes quemadmodum & corpore & animo ſis affectus, paucis verbis ſignifices. nam exiſtimo id pro amore noſtro mutuo debere ad curam peculiarem meā pertinere. Vale. Gandaui. xij. Iunij

1531.

Viues

Viues Erasmo.

EPistola tua data ad me quinto die Ianuarij gratior mihi fuisset, si te rectius valere nunciasset, sed tã affecta tua in ætate ista valetudo non potuit mihi non molestissima esse ad audiendum. precor tibi sanitatem: aut si hoc non est Christo visum, certè robur & animi & corporis, quo tolerabiliores fiant tibi cruciatus. Aestate superiore grauiter & periculosè ægrotaui è colica. Podagra facta est mihi adeò familiaris, vt iam minus sit ex assuefactione grauis. eam puto me contraxisse è frigore potius quã vlla alia de causa. Ista sunt suauia munuscula, quibus nos corpus hoc nostrũ pro assiduo et sollicito sui ministerio remuneratur. Quod temperamentũ, aut quæ circunspectio suffecerit: si literæ de aliquo scriptæ, ad eum ipsum mittantur? quod est planè, vt ait Cicero, tollere è

vita vitæ communionem. Ego verò te non arbitror in amicitia refrixisse, nec rarius te mihi scribere conqueror, quæ etiã querela in me recideret, qui non minus raras ad te dem literas & meis permultis epistolis tũ ad te, tum ad amicos alios testatus sum, non æstimare me amicitias ex officio quodam leui scribendi, quod interdum diligentius præstant qui minus diligunt, præsertim vbi nihil sit inter nos negocij, quod scriptionem desideret. Sed meũ consilium fuit deterrere Caruaialum ne posthac si quid aduersum te ederet admisceret nomen meum: intelligens planè ex mea epistola id mihi gratum non futurum. Id verò ne quis suspicetur parum conuenire inter nos, quod minimè deceret, siue ob amicitiam et familiaritatem aliquando nostram vtriusque monumentis testatam, siue ob communionẽ studiorum ne non affecta-

aſſectatores credamur ſapientiæ. ἀλλὰ κεράμεῦς. Tempora habemus difficilia, in quibus nec loqui, nec tacere poſſumus abſq; periculo. Capti ſunt in Hiſpania Vergara, et frater eius Touar, tum alij quidam homines bene docti. In Britannia Epiſcopus Roffenſis, & Londinenſis, & Thomas Morus. Precor tibi ſenectam facilem. Brugis .x. Maij. 1534.

Ioan. Ludouicus Viues optimo atque eruditiſsimo iuueni Gilberto Cognato Nozereno, D. Eraſmi Amanuenſi.

EX binis tuis literis Cognate chariſsime, quarum priores miſit Leuinus Panagathus Antuerpia, poſteriores attulit Quirinus Hagius ciuis, intelligere non potui, quod valde cupiebã, eſſentne tibi redditæ quas Londini ad Eraſmum & te dederam. Satis ſuſpicabar non eſſe quod nihil me-

minißes in tuis. de libris quos reddidit Quirinꝰ, habeo & ago tibi gratias immẽsas. per ociũ legã. De literis tuis faciũ quod me rogas: alias iam misi ad Carolum Montioiũ. Mi Cognate sæpenumero sum te precatus vt ad nos vel hanc ob causam scriberes frequentius de Erasmi præceptoris nostri valetudine, rerumq́ suarum statu, qui mihi non minus curæ est quàm meus ipsius, vel crederemus famæ, vel ea commoueremur. Hoc in præsentia vehementius à te peto & oro. Nam mihi ex Autuerpia scriptum est, de salute sua, id quod vel cogitare abhorreo. Tametsi hæc & similia nos de illo audire, nouum nõ est. ideo minus mouemur, quod velut occalluimus. Sed quò crebrius audimus, hoc nos magis terrent humani casus, & communis mortalitatis reputatio. Goclenius me recreauit, qui nunciauit fuisse quidem sparsum

ſum in Brabantia aduerſum rumorem de Eraſmo, & malis modò iucundum, cæterùm ſe habere compertum omnia eſſe apud vos rectè. Quod equidem Christo habeo & ago gratias quàmmaximas. Me hic cœlum iſtud ventoſum, denſum, humidum inclementer accipit & victus ratio multum diuerſa à conſuetudine mea. Cætera cedunt proſperrimè Deo gratia. Nam diligunt principes, ac fauent, idq́; re oſtendunt. Sed mihi certum eſt ad menſem Iunium in Flandriam redire, vt alijs tibi literis meis ſignificaui. De te quid optem non ignoras ſententiam & votum animi mei, quicquid tamen ſtatueris, Deum velim tibi fortunare. Gratiſſimū mihi feceris ſi meo nomine dixeris ſalutem D. Eraſmo communi præceptori noſtro, & Zaſio, & Glareano. Vale etiam atque etiam VI. Idus Martij. Oxoniæ.

Ioan.

Ioannes Lodouicus Viues Damiano Goësio suo.

QVod epistolæ tuæ nondum responderim mi Damiane, non volũtas in causa fuit quæ est erga te, vt potuisti cognoscere, profectò summa, sed valetudo aduersa mea, quæ per ingentes dolores tũ corporis, tum animi mei vires valde afflixit: neque nunc scriberem, nisi vererer ne quid tu de immutata mea erga te voluntate secus suspicarere q̃ res habet et ego vellem. cupio enim vt intelligas me in ratione ista amicitiæ paria tecum facere, & tantopere amantem, non mediocriter redamare. Munus istud regium opto tibi fœlicissimè euenire, vt in eo diutissimè & cũ summa gratia atque animi tranquillitate verseris. Quod te scripturũ ex patria recipis, rem vtique feceris mihi multo gratissimam. iter tibi prosperum precor. fac

quæso

quæso vt per occasionẽ Regi tuo, atq; adeo beneficio illius in me, meo quoq; salutem dicas meis verbis reuerentissimè atque officiosissimè: & gratias pro me agas de ampliss. congiario, quo me superiore anno prosequutus est. quod eo rerum mearum articulo contigit, vt non potuerit nõ & maximum & multò iucundissimum videri. Salutabis mihi D. Episcopum Veseuiensem. Hedioni non rescribã nunc propter meam valetudinem. quin & multum deliberabo, quando ac quemadmodum scribam propter tempora & hominum suspiciones. Gratulor tibi profectum in literis. non possum mouere manum in scribendo. Vale.

Brugis. xvij. Iunij.

1533.

Io. Ludouici Viuis Epistolarum Finis.

10

149


calibrite
colorchecker CLASSIC
mm